



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**


Eyschen, Georg von


Coloniæ, 1656

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Th. 2584

J. 17
21





AVLA II.
THESAVRORVM
DEI
IN PASSIONE D.N. IESV CHRISTI
Effusorum ad
RESURRECTIONEM MULTORUM,
Demonstrante

Admodum Reverendo, Prænobili & Amplissimo
Viro ac Domino


D. GEORGIO Ab EYSCHEN
ARLVNENSI,

SS. THEOL. LICENTIATO,

Nec non Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Pres-
bytero Capitulari & Seniore,
Serenissimi ac Reverendissimi

PRINCIPIS FRANCISCI

*Verdunensis Episcopi, Lotharingia Ducis, Argenti-
mensis Episcopatus Administratoris, Præpositi Col. &c.
Consiliario atque Eleemosynario &c.*



COLONIAE,

Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopol.

Typis HENRICI KRAFFT, Anno M. DC. LVI.

SERENIS.^{mo} AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

MAXIMILIANO
HENRICO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS

GRATIA

SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIAE

ARCHIEPISCOPO

SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI ELECTORI.

Et per Italiam Archicancellario eiusdem Apo-
stolicæ Sedis

LEGATO NATO,

Episcopo & Principi Hildesienfi ac Leodiensi,
Administratori Berchtesgadenfi,

Utriusque Bauariæ nec non superioris Palatinatus, Westphaliæ,
Angariæ ac Bullionis

DVCI,

COMITI PALATINO RHENI, LANDGRAVIO

Leuchtenbergenfi. Marchioni Franchimontensi, &c.

Domino suo Clementissimo

PATRIÆ PATRI

Obsequium

GEORGIUS AB EISCHEN.

SERENISSIME PRINCEPS,
CLEMENTISSIME DOMINE.

PATRIÆ PATER &c.



Ommentationum mearum in Sa-
cro sanctam passionem Dñi N. Iesu
Christi Aulam primam, quæ pas-
sionem eiusdem Dñi N. Secundum
Matthæum complectitur, & multiples the-
sauros diuinæ gratiæ in ea effusos super genus
humanum, ad singulos versus, imo semicola
scriptoris sacri, quasi diuite sacco conscisso, ma-
nifestare conatur, dedicavi ipsimet Domino
meo Sanctissimo, altissimo, Optimo Iesu Chri-
sto, pro me ac sua Serenissima clementia. verè
extrema passo.

Cum igitur nunc Sacerrimo, eiusdem in Ec-
clesia Catholica recolendæ passionis tēpore ab-
soluam typis commentariū in passionem eiusdē
Domini, conscriptam à S. Marco, non alteri
certè, quam suæ Serenitati eundem ante omnes
mortales & offerre, & dedicare me decebit, cum
eiusdem Domini ac Passionis eius sit cultor
amantissimus & per Regale sacerdotium, in or-
dine Melchisedech, seu Regis Iustitiæ, fidelissi-
mus dispensator.

Cau-

Causæ, quæ ad ita faciendum impulerunt,
sunt plurimæ; commemorare tamen eas non est
necesse, cum etiam vulgo quædam sint in hisce
terris notissimæ. quem enim post Deum Opt.
Max. Diuosq; aulicos eius cælestes, Vicariumq;
eius in terris Sanctissimum D. N. Alexand. VII.
proximè ac maximè colam? quam eum, quem
Dei & Apostolicæ sedis gratia, Pastorem & Epi-
scopum animarū (inter quas me lubens libens-
que adnumero) huic Electorali Ecclesiæ præ-
fecit!

Sed & quem post istos eximiè nominatos
sincerius amem reuerearque? quam eundem,
qui Serenissima sua beneuolentia me minorem
præuenit! aut cui fidelius obsecundem? quam ei
cui etiam Societate collegii Metropolitanæ siue
Summi in his Prouinciis, ita sum coniunctus,
vt sæpe etiam sim particeps ac consors laborum
& curæ, pro vniuersis susceptæ!

Habet, vt hoc obiter occupatisimo simpli-
citer dicam, Serenissima Clementia sua, in hoc
meo pugillari munere, thesaurum spiritualem
cccx. affectuum piorum, quibus explere licet
exhortationem viri eximiè pii, & nisi fallor Al-

* 35

bertū

berti Magni Ratisbonensis quondam in Bauaria laudati Episcopi, cuius hæc verba accepi.

Si desideras perfectè mundari à vitijs, si nobiliter ditari in virtutibus, si altissimè illuminari in scripturis, si gloriosè triumphare de inimicis, si copiosè consolari in aduersis, si deuotus conseruari in terris, si frequenter compungi in cubili, si dulciter flere in oratione, si frequenter incendi in meditatione, si perseuerare in bonis actibus, si repleri spiritualibus gaudijs, si rari excessu mentis, si diuinis frui secretis, si feliciter mori in extremis, si perenniter regnare in cœlis, exerce te in vita & passione Christi Filij Dei, quem Pater misit in mundum, ut omnibus præberet perfectionis exemplum, & sequentes se perduceret ad regnum æternum.

Hæc columbina simplicitate, cum viro cœlestis sapientiæ promo, magis arriserunt, quam altiore stilo concepta ænigmata & Emblemata Oratorum, quæ tamen in hac ipsa materia sacra non erant defutura, si eam Serenissimæ Clementiæ suæ sub involucris illis commendare instituissem. Siquidem Quatuor Euangelistas (quorum de Domini Nostri passione historiam perscrutor) poteram concinne componere cum

quatuor

quatuor illis Apocalypticis equis Albo, Rufo,
Nigro & pallido, qui in quatuor sigillorum per
Agnum apertione comparauerunt B. Ioanni.
neque defuisset plurimæ allegoriæ fæcunda dif-
fertatio, etiam in alijs, quaternarii numeri è scri-
pturis adsciti, Figuris; sed simplici candidoque,
vt pectore esse intendi, ita sermone huic con-
gruo vti decreui, vt Lector meus intelligendo
non fatigatus, affectu in Deum meum suumque
amandum, seq; ipsum curandum robuste con-
surgat & agendo conualescat.

Hæc sunt vota mea nunc & suprema, ea-
demque libenter, vti capio & sapio, inculco; vt
Regem Regum & Dominum Dominantium
propitium ac benignum vnâ cum sua Serenissi-
ma clementia inueniam, in illa, quam pari vel æ-
mulante studio ambimus, Aulâ: ad quam nos
pariter perducatur, qui pro nobis passus est Iesus,
qui etiam Serenitati suæ, in muneris ac vitæ cel-
situdine Eminentissimo gratiam & gloriam
ampliorem decernat. Dabam Colonia ex Mu-
sæo meo Anno 1656. Dominica Palmarum, ple-
nilunio Paschali in 9. incidente Aprilis.

Suz Serenissimæ Clementiæ
Obsequentissimus

Georgius ab Eyschem.

APPROBATIO ORDINARIII.

AUta hac secunda Dilcursuum & Meditationum, affectuumque piorum in Passionem Domini secundum Marcum, constructa per Admodum Rev.^{um} & Eximium D. Georgium ab Eyschen Metropolitanam Ecclesiam Coloniensem Canonicum Presbyterum Capitularem & Seniore, nihil continet orthodoxae fidei aut bonis moribus contrarium; sed praecleara documenta ascetica vitae studiosis, & Passionis Dominicae amantibus perutilia; ideoque dignam censemus, ut publici juris fiat, & ab omnibus frequentetur. Datum Colonia Anno 1656. die 12. mensis Aprilis.

Georgius Paulus Stravius Episcopus Ioppenfis,
Suffraganeus Coloniensis, in spiritualibus
Vicarius Generalis, & Librorum
Censor Ordinarius.

V.

A V L A II.

MEDITATIONVM AD SPIRA-
TIONVM ET EXHORTATIONVM
IN SINGULAS SENTENTIAS
Passionis Domini N. IESU Christi
Secundum Marcum.

CAPUT. XIV.

§. 1. Erat autem pascha & azyma post biduum.



Ncipit Euangelista hic enarrare passionem à notatione temporis, quo incepit ipsa passio Domini; in Paschate, scilicet festo illo magno Iudæorum, quo sanctiores ipsos Iudæos esse decebat, & occupare animos in rebus diuinis abstractos ab omni terreno consilio, iudicijs, peccatis, maxime quãdo azyma & agnum paschalem, cum cæmonijs, quas Moyses ipsis mandarât, in maxima solemnitate comedere, & festum Domino celebrare debebant in signum liberationis & seruitute Ægyptiaca; illi vero iniquiores fuerint in cogitationibus suis, ex opere circa Christum, ecce agnum illum verum paschalem, vere immaculatum & innocentem condemnando per mendacia aduersus eum excogitata.

Domine mirum mihi sæpe visum est, quod quanto festa sunt solemniora & sanctiora, eò aliqui homines sæpe videantur esse nequiores, & liberius peccare. quid dicam? nescio aliud hic reponere, quam quod diabolus in odium Christi Domini, sibi velit etiam celebrari eadem festa per

A

peccata

peccata. Heu! Domine, doleo quod vnquam in festiuitatibus, magis & potius diabolo seruiatur, quam tibi Deo meo, da veniam culpæ meæ & alienæ.

§. 2. *Et quærebant summi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent. v. 1.*

Agnoui tempus sacrum, agnosco etiam quid scribæ & Sacerdotes tam temporis suadente diabolo meditati fuerint, cum sacrificia offerre Deo vino & vero debuerant nam moluntur diabolo sacrificare, eius sequentes suggestiones, dum verum Dei sacrificium sc. Christum Iesum, filium Dei dolo tenere, cruentate & occidere sine causa festinant, imò fraude pessima.

S hæc tibi, ô, Christe, facta sânt innocenti, quid mirum si quotidie idem tuis affectis fiat in mundo! dum eos mali persequendo, odio habendo, maledicendo, fugando, contundendo, & occidendo fatigant, Tu Rex Martyrum, ita factus, & illi martyres tui sunt te imitando in patientia. O Domine etiam hanc da mihi gratiam & patientiam, vt in omnibus te sequar, aduersa patienter ferendo ad tui gloriam, nunquam vero quemquam dolo velim circumuenire.

§. 3. *Dicebant autem non in die festo ne forte tumultus fieret in populo. v. 2.*

Ergo omnes summi Sacerdotes & scribæ & seniores conueniebant in eandem sententiam vt Christus caperetur & occideretur: tantum erat discordia sententia inter ipsos, de tempore exequendi propositum. dicebant namque quod quouis opportuno tempore & quidem tunc statim deberet capi; alij autem nō die festo, ad quem tot millia hominum conuenerant ex omni natione ne forte tumultus fieret in populo, & sic vel impedirentur a suo incepto nequam & consilio, vel per tumultum populi abundantioris & audentioris, quando est multus & diuersæ factionis, eriperetur è manibus eorum, vel populus Christo adhærens, eum defenderet contra principes, vel multus sanguis effunderetur, cum ignominia principum, vel certe fugam caperet Dominus, & alio cum discipulis diuerneret, & sic illuderetur magis quam ante quando per volentium lapidare manus exibat.

Domine considerans consilia filiorum hominum & huius sæculi, valde admiror, ita, ut plurimum, sine te sunt, cæca, mala, nequam &c. O Deus nunquam nequam consilium veniat mihi in mentem, vt velim nocere proximo, siue in corpore, siue in anima, siue fama, sed da gratiam vt semper cogitem & loquar, quæ recta sunt in conspectu tuo & agam, ne cum an-

pijs damner in tuo iudicio, sed sim in omnibus fidelis seruus.

§. 4. *Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi. v. 3.*

Describitur hic locus, ubi fuerit Iesus, quando concilium fecerunt Iudæi de illo capiendo; scilicet in Bethania, quæ erat vicus non longe distans ab Hierusalem, pertinens ad Mattham sororem Lazari & Magdalenam, & Latinè sonat domus obedientiæ. neque solum castellum totum, sed & partem eius insinuat, nempe in qua domo fuerat, quam ait fuisse. Simonis leprosi, quæ omnia nobis aliquid pium & ad mores pertinens indicant, nempe passurum esse Dominum pro liberandis peccatoribus ex Patris sui obedientia. nec vacat mysterio quod in eandem domum leprosi nuper, nunc vero sanati, adueniat Maria soror Lazari, quia hoc ipso magnificè indicatur quis futurus post passionem Domini Ecclesiæ suæ status conuenientibus in eam peccatoribus iam mundatis, conuersis, iustificatis.

Domine obsecro inueniaris quoque in domo mea licet leprosi & magni peccatoris ut cures me ab omni lepra animæ, & conuiueris mecum per eucharisticum convivium, sed & inueniar ego semper in Ecclesia tua sancta, Amen.

§. 5. *Et recumberet. v. 3.*

Olim erat mos Iudæorum recumbere ad mensam, quem modum seruauit Christus etiam suo tempore, nolens eum mutare, quia erat indifferens, sed acceptus à populi & patriæ usû; ideoque seruauit & eundem modum recumbendi ad mensam ne videretur singularis; nos docendo, si quem morem vel modum inuenimus qui sit indifferens, nec vel contra Dei mandatum, aut mores bonos & honestatem, relinquendum, nec facile mutandum, ob singularitatem quæ parit apud populum inuidiam, nauseam & oblocutionem: è contra vero, si quem videmus morem minus honestam, vel contra Dei consilium vel præceptum, eum velis remisque conemur dissuadere, diuertere & abolere, maxime hi qui in officio & potestate constituti sunt.

Ita Domine faciam, ut si quid inhonestum, illaudabile, vitiosumque videro aut sciuero, idem ipsum coner emendare, & corrigere, omni studio, donec perfectius quid largiaris mi Deus.

§. 6. *Venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi pistici pretiosi. v. 3.*

Describit Euangelista quid factum sit in Bethania in domo Simonis & in accubitu: quod scilicet venerit eodem mulier, quæ & qualis non nominat, sed ostendit solum vel pœnitentiam eius & conuersionem, vel certe

PASSIO D. N. SECUNDUM M^{AR}CUM

gratitudinem declarando, pro alterutro igitur narrat, quomodo se habuit
 ut erga Iesum saluatorem suum, quod scilicet venerit plena amore in Ie-
 sum & tulerit secum in domum Simonis Alabastrum plenum pretioso un-
 guento nardi pistici. Bonum plane exemplum, bonum prorsus; sic omnes
 peccatores volentes se convertere debent secum portare alabastrum pre-
 tiosi unguenti nardi pistici, hoc est intus & exterius vere doleant de præter-
 itis & de futuris sibi caueant, portantes secum ex amore erga Dominum
 Deum semper unguentū pretiosum, ut sint bonus odor coram Deo & ho-
 minibus; ut videntes alij pœnitentiam & conversionem, ipsi quoque ex
 odore illo conuertantur & agant pœnitentiam exemplo eius.

Domine si non erubui peccare coram te, non erubescam & te com-
 teri per pœnitentiam coram hominibus publice & aperte, ut ex ea te
 mihi reddam ad gratiam liberaliorem cum hac muliere, & me exhibeam
 tui amantiorem.

§. 7. *Et fracto alabastro effudit super caput eius. v. 3.*

Considera hic liberalitatem Mariæ, quæ in unguendo Christo etiam
 ipsi non peperit alabastrum, vasi pretioso; sed fregit altissimum ostendens
 obsequium ut eo copiosius fluere intus reconditum balsamum ad caput
 Domini benedictum, velleo signo indicans; eiusdem Mysterium iustitiam
 cum morte & postea effundendi in nationes, vel unguendo in vivis corpora
 quod non esset unctura in morte, vel volens alijs uncturis præripere pal-
 mam suæ unctiois primitijs, vel nesciens fecit quod sciens facere oportet,
 & hoc diligentibus Deum proprium est, ut eius gratia opera eorum
 gratiosa & pretiosiora quam ipsamet sæpe capiant & intelligere possint.

Domine Iesu liberalissime, liberalis sum & ego propter te, & cum in
 modo visibiliter absis à me, sum benignus erga tuos pauperes; nil mihi
 reseruando vel in commodum meum, sed totum quod habeo aut habito-
 rus sum pro te & pro gloria tua ex charitate effundam liberalius semper
 & ubique. Ex te enim totum est, quod habeo, quod habiturus sum; reddo
 ergo tibi quod accepi ex liberali & grato animo pro gloria tua, suscipe et-
 go munus meum sicut accepisti & illud.

§. 8. *Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos. v. 4.*

Vbi corpus opacum & lux ibidem & umbra, aiunt naturales; & Po-
 litici, vbi bonum, ibi plerumque comes invidia, maxime in animis imper-
 fectorum. Ecce mulier ista bonum opus operabatur, & invidia Iudæ Iste-
 riotæ hominis imperfectissimi & malivoli præsto est, quæ id ipsum bonum
 calu-

calumniabatur, inducens secum vel aliorum discipulorum murmurationem, vel certe plurali numero unius, plurimos figurantis inuidos & calumniatores, calumnia designatur. miserum sane genus hominum & conditio illorum est, quibus nihil fieri ita perfecte potest, quin arguatur ab ipsis. cum omnia creata habeant aliquas priuationes boni, etiam hi ipsi osiores. Vbi charitas? quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi?

O Bone Iesu; fons charitatis! quam verum est quod mundus in maligno positus sit! quam parum de charitate tua adhuc hodie luxit! quam sibi addictus! quam parum Deo, & proximis! Heu experior in memetipso, quam longe sim à charitate tua & proximi: quid remedij? recurram ad te fontem omnis boni & misericordiæ, vt te requiram humillime, quo gratiam præstes, vt quidquid videro speciem boni habere in alijs non vituperem, glossematis malis sinistrè interpretet, sed potius, excusam si malum sit, docente S. Bernardo, & si bonum sit laudem, & extollam.

§. 9. *Et dicentes: vt quid perditio ista vnguenti facta est? v. 4.*

Hic concurrunt simul duo magna vitia, utrumque ob deformitatem suam pulchro velo palliatum, videlicet Auaritia & Inuidia. Auaritia pallio frugalitatis, quæ inducuntur calumniatores, ut putent perditum vnguentum, & inutiliter Christo Domino applicatum, quod magno vendi potuisset, & vtilius applicari vel in vsus pauperum, vel vsui ipsorum. Inuidia vero palliata erat specie zeli cuiusdam, dum solum Christum, & non etiam seipsos participes balsami fieri indolescent, quasi continuo quod Magistro conuenit etiam discipulis sit exhibendum: excusat autem Dominus mulierem, quia nobilissima & diues pro conditione status & diuitiarum suarum dabat personæ nobilissimæ & nobiliori quam ipsa erat & ditiori, ideo ait: quod habuit hæc fecit, id de suo benefecit, ait Dominus.

O Gratissime Iesu vtinam & ego aliquando audiam à te vel in die iudicij bonum opus operatus es in vita tua vel perfectum, mihi que gratum & acceptum: intra in gaudium Domini tui: felix Maria quæ audisti approbati opus tuum & esse perfectum & meritorium apud Deum tuum: felix ego ero quoque si semper à conscientia mea audiero vocem illam dulcem: bonum opus operatus es.

§. 10. *Poterat enim vnguentum istud vendari plusquam trecentis denarijs & dari pauperibus. v. 5.*

Duplo hic adhuc amplius palliatur frigidissima murmuratio inuidiæ
A 3 & Aua-

& Auaritiæ, nempe *facio* & larua eleemosynæ & misericordiæ exhibende, cum non esset aliud in corde Iudæ, quam amor pecuniæ contra votum paupertatis: nam loculos & pecunias quæ Christo ad sui suorumque discipulorum & pauperum usus offerebantur portabat, & sub ea specie & ipse Iudas sibi, commodoque suo & voluptati eas applicabat & dissipabat, ut pote fur, qui deo loculos repleti optabat Christi, ut arca unde furetur esset locupletior, trecentis denariis, quorum quisque faciebat Romanum Iulium siue realem Hispanicum: ergo summa trecentorum istorum denariorum faciebant triginta scuta Romana argenti, qui sunt iuxta huiusmodi monetam xxx. Ducatoni, quorum quisque valet imperialem & quadrantem: Et fortasse inde accidit paulo post ut vindictæ appetens miser ille fur vendiderit triginta argenteis dominum suum, ut pro triginta scutis quos hoc unguento effuso in Christum perdidit triginta saltem argenteos Christum vendendo reciperet. O vilis & lordida avaritia! per quam factus est & fur, & voti violator & murmurator, & invidus & proditor & venditor pretiosi sanguinis Domini, & Dei sui. O malum Avaritia! per quam omne malum facile intrat in corda cupida; nam ad quod non malum hic cupidus lapsus est à summo scilicet Ecclesiæ stato & gradu, ad infimum & fœdissimum & miserrimum mundi & inferni claustrum & mancipium. Ecce locus ubi eum poluit *Concupiscentia radix malorum omnium.*

O Homo, qui studes avaritiæ, qui laboras ad cumulandas pecunias, unde quid agas, ne tibi eueniat quod Iudæ qui in altissimo dignitatis & felicitatis gradu existens, cecidit in infimum & miserrimum omnium miseriarum statum, & quidem æternum ob male acquisitas pecunias. O infelicem Iudam! omnium Creaturarum infelicissimum! quis in tuis te miseris consolabitur? Nemo, æterna pœna tui est peccati, indelebile & æternum tormentum tuum. Quid modo iuuat vixisse mundo? quid te modo iuuat pecunia, quæ tibi tot clades, tormenta, exilia & mortes sine morte præparauit. O infelix mercator! Domine Deus iuste iudex ultionis donum fac remissionis ante diem rationis, ne peream cum Iudæ cremet igne,

S. 11. Et fremebant in eam. v. 5.

Nimirum dentibus, nutu, oculis, facie, verbis Iudas literaliter per se, figuratiue pro multis futuris post eum, quid autem mali fecit hæc malitiam ô Christi discipule, quod ita in eam fremis? malumne est seruire magistro vestro, qui eius gratia hîc ipsi lautè recumbitis, & sine quo ne quidem in domum tanti viri admissus fuisset tu, an quia in unguentum pretiosum effudit super caput eius? quis vero amor est ille in magistrum, si ei bene fieri dispi-

scilicet: vbi charitas in proximum si magistro & Domino charitatem adhibitam, inuides? vbi lex? vbi propheta? de diligendo proximo sicut seipsum Erras, erras cum socijs tuis beneficium gratiam meretur, non contemptum, non fremitum,

Domine Deus, ipsa misericordia, & bonitas, qui cunctarum tuarum creaturarum intueris cor & actus iudicas, præsta gratiam mihi vt cuncta bene facta etiam aliorum ordinum, status, sexus & Nationis cuiusuis, atque ætatis, lubens videam, suadeam, approbem, & foueam pro gloria tua, & salute animarum suscepta.

§. 12. *Iesus autem dixit, finite eam. v. 6.*

Videns Iesus iniuriam fieri bene facienti suæ personæ, cum modestè increpans discipulos defendit eam, dicens: *finite eam*, quasi diceret: nolite eam vexare, molestare, turbare & inquietare propter me, aut opus bonum quod operata est in me, animo enim in me, pio, sancto, feruenti & grato id fecit, quod fecit, finite ergo eam in suo bono proposito nec auertite, qui perfectiores esse debetis, & semper bonum laudare, & procurare ex mea doctrina debetis, vt mei discipuli, quos ego à mundo elegi vt fructum plus afferatis, non autem minuatis, fructum boni operis: Ita Christus. D.N.

Ecce autem, mi Homo, quam modestè increpat discipulos! quam humaniter defendit bene facientem? quam etiam ipsa mulier bene operata & culpata tacet, pro nostra doctrina, vt in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in doctrina, in increpationibus: O pia mulier, Dei famula eximia, quam tu fers patienter obmurmurationes! non respondes quidquam! non arguis Iudam! quod non patiatur honorari dominum suum, sed memor delictorum suorum vel amoris sui in Dominum sustinet & solum intendit quid Magistro ipsi placeat. O quot hodie fœminæ vel subditæ viris, vel deuotæ Deo non sustinent se increpari, non dico in bono, sed nec in manifestè malo! quam acerbe & irreconciliabili modo se vindicant! etiam viri! Bone Iesu fac oro vt in omni contradictione, simili ratione me, vt illa sancta mulier, geram! totum tuæ voluntati diuinæ commendans, quidquid mali contra me agatur vel murmuratur.

§. 13. *Quid illi molesti estis, v. 6.*

Cum ad modestam illam increpationem, non cessaret Iudas cum suis molestare vltra Mulierem: vltra etiam reprehendere eos debuit gratissimus Magister. Ait igitur illis quid illi molesti estis? signis, verbis, factis. mulierii

mulieri innocenti, humilianti se coram me & vobis, vel benefaciendo mihi, vel pœnitentiam agendo sibi, & satisfaciendo, vos qui omnes illas virtutes non solum imitari & sed laudare deberetis ex mea quidem doctrina & exemplo, desinite ergo eam molestare ultra.

O Mitissime Iesu quot hodie homines sunt Christiani, qui ad fores suas prætereuntem calumniantur! quot sunt qui bene agentes in Ecclesia calumniantur! plebs suos mag. stratus, & principes: vnus ordo, alterum, vnus Religiosus alterum mordet, figulus figulo inuidet, garrit, loquitur iniquitatem magis quam æquitatem, diligit verba præcipitationis lingua dolosa! Vtinam etiam esset qui eos moneret, tu tuum murmuratorem suauiter monuisti: Da gratiam vt etiam sic cum proximo agam, si forte male agat, vel me offendat, omnem illi misericordiam impendam, vt conuerti possit, non autem vt torqueatur & in animo suo odio inardescat.

§. 14. *Bonum opus operata est in me. v. 6.*

Dolebat discipulus adhuc de effuso illo pretioso in Christi capite balsamo magno pretio diuendendo, ideo Christus addit causam, vt illius & similibus animos quieti reddat, dicens: *Bonum opus operata est in me*, non solum quod tam pretiosum vnguentum in mei gratiam fieri curarit, emiserit, & effuderit tam largiter, & cum summo amoris affectu in caput meum, sed etiam ideo quod non territa diris Iudæ execrationibus, nihil moram aliorum discipulorum vel irrisionibus vel murmuratationibus perstiterit plena fide in me solum contenta quod boni consuleret ego ipsius ministerium mysterij plenum.

Eta fides & fide animata anima mea exurge: modo Deo placeas, charitas modum non habet, largiter effundamus quidquid optimum habemus in Christum, non attendendo quid expendamus. Sed cui & pro quo impendam? orna Ecclesias, allice per munera catechumenos, effunde necessaria & libellos oraturis. Cum hoc agis pretiosum effundis vnguentum quo vngi debet & vult Christus. Fides est non quæcunque sed per bona opera monstrata, qua vngitur Iesus, ex corde puro, sincero, permixta charitate, sic erit nardus spicatus pretiosus & pisticus quod ages, & fiet odor boni exempli in tota domo, quæ est ecclesia Christi. sic odorem dedit S. Benedictus, S. Bernardus S. Franciscus, Dominicus, Philippus Neri, Ignatius, Clara, Theresia & innumerabiles in hac domo, qui hodieque perferunt, contra factorem Martini Lutheri, Caluini & similibus apostatarum.

§. 15. *Semper enim pauperes habebitis vobiscum. v. 7.*

Pauperes vel spiritu & animo, vel corpore & diuitijs, imo inopes

fidei, spe, & charitatis, claudos, cæcos, nudos, in carceratos, obsessos quibus circumeundo post resurrectionem meam & ascensionem potestis bene facere, sanando, docendo, prædicando, catechizando baptizando, liberando, cibando, potando, vestiendo, visitando, consolando, ut, fratribus eiusdem naturæ, & fidei consortibus, & illis ministrandi occasio nunquam vobis deerit, mihi autem non semper poteritis corporale ministerium exhibere, non enim semper habebitis me in ista forma visibili. Nolite igitur indignari, quod mulier hæc dum corpore præsens sum corporale mihi exhibuit ministerium: veniet hora qua & vos similia facere optabitis sed non poteritis: Illis autem cum volueritis potestis bene facere semper, die ac nocte. Hoc tamen verbum tuum Domine, irritum voluerunt facere quidam qui à te & discipulis tuis abierunt: Andreas Carolstadius, & similes ei, qui inter Christianos nullum voluerunt esse pauperum, sed de alieno matrisupio ditare, ideo cito exciderunt isti falsi Apostoli.

O Iesu amabilissime, quis te pauperior? & invidetur tamen tibi à tuismet discipulis, elemosyna! adeo namque pauper effectus es, nostræque miseræ adeo gustasti amaritudinem, ut ipso natiuitatis tuæ tempore nec floccum haberes ex hereditate, nec vbi tenera & infantilia membra tua reponi & hospitio recipi potuissent, cum sis cæli terræque Dominus, hinc alieno in stabulo natus es & tenerrima membra tua in præsepe rigidum, vilescque panniculos quos sibi pijsissima Virgo detraxerat, collocari permisisti, & hunc ipsam indignum locum benedicta & vere pijsissima mater tua à bestijs irrationabilibus mutuata est: sicut nec modo in domo propria sed aliena, nec de penu proprio, cibo aut potu reficeris aut tractaris, sed uti pauperrimus & abiectissimus mundi hospitio exciperis. & invidetur tamen adhuc tibi!

O Bone Iesu, cuius non Religiosi emolliatur cor? non accendatur ad amorem paupertatis si ista videat & audiât, quis non moueatur ad compassionem, quando maximam paupertatem, admirabilem humilitatem & feruentissimum ergo nos attendimus amorem? nescio si homo est, qui hisce non commouetur.

§. 16. *Illis autem, cum volueritis, potestis benefacere. v. 7.*

Docemur hoc verbo, consilij esse; Benefacere pauperibus. ait enim, cum volueritis, potestis, oprandum est autem ut id velimus semper quamdiu occasionem habemus, non enim semper id poterimus. Hinc Salomon: *Non cesset manus tua: imo quodcumque potest manus tua incessanter operare: & ob id forte geminas homini manus natura tribuit, geminas aures, geminos*

B

oculos

oculos ut robustius, diligentius & circumspectius peragerentur ea quae ad nostram & aliorum utilitatem & necessitatem spectant: sane beneficium ferere, ut metere possit fructum prudentis animi est, nam ut ait Chrysostomus: *Qui in terris bene facit, in caelis thesaurizat.*

Hoc autem bone Iesu, verbo & exemplo docuisti tota vita tua, docere ergo proximis beneficentiam exhibere, non semel in anno, mense vel hebdomada, sed quotidie amore tui illectum ut placem Tuam maiestatem merito offensissimam mihi ob grauissima peccata mea, es enim Deus iustissimus Iudex extremum quoque quadrantem exigens, nisi mature inter iudicium tuum & animam meam interponatur misericordia tua Domine Deus meus.

§. 17. *Me autem non semper habebitis. v. 7.*

Quare non Domine? quia vado ad passionem pro vobis, de passione iturus ad mortem, de morte vicissim ad vitam quidem per resurrectionem sed breui de resurrectione transiturus sum ad ascensionem in caelos, & per hanc ad gloriam vobis invisibilem modo, et si ibidem sim paraturus locum vobis, donec de gloria mea ad iudicium mundi redeam bonorum & malorum omnium rationem expectaturus, quando qui bona egerunt ibunt in vitam mecum aeternam; qui vero mala in ignem aeternum putatum diabolo & Angelis eius.

Dulcissime Iesu quomodo dicis paucis diebus ante passionem tuam me autem non semper habebitis? qui tamen pridie passionis tuae in ultimâ cena te reliquisti sed speciebus panis & vini nobis semper praesentem, imo post resurrectionem tuam manifestius dixisti, ore tuo veracissimo. Ego sum vobiscum usque ad consummationem saeculi. Dicis ne ergo contradictoria? quod velis non esse nobiscum? Velis nos relinquere Orphanos, & non velis nos relinquere orphanos? tu scis quia sine te nec vivere valemus nec possumus: Heu nos miseros si nos proijcis à te lumen oculorum nostrorum, spes unica salutis animarum nostrarum! heu perimus si non sis nobiscum. quo ibimus à spiritu tuo & quo à facie tua fugiemus? Et tunc aut nos diabolus apprehendet aut infernus. neclongeris obsecro, aut mane nobiscum, aut nos peribimus. Intellego iam vim verborum tuorum docente me matre Ecclesia S. Catholica, illa me consolatur & ait, non semper habitum iri à nobis visibiliter, ita ut tuam caput sensibilem possimus vngere, pedes lavare &c. Sed tamen semper Te à futurum spiritaliter secundum diuinitatem, imo Sacramentaliter, realiter secundum humanitatem.

humanitatem. Gratias ago tibi Domine pro isto verbo dulcissimo, quo nos per Ecclesiam sponsam tuam erudis & consolaris.

§. 18. *Quod habuit hoc fecit. v. 8.*

Quod habuit, ex instinctu scilicet diuino, hoc fecit, præueniendo un-
gere Corpus Christi in sepulturam in qua ei id non licebit, partim propter
impedimenta terrorum, & occursum Festi, partim propter resurrectionem
meam. Et si alij exponant sic quod habuit, id est, quod potuit fecit, non
quasi multo plura non potuisset, quia ditissima princeps erat & valde
Christo deuota, quæ & plura alia fecit Christo sed quod in potestate eius
fuit hoc perdere rationabiliter in meum obsequium, quod suo ære compa-
ratum dominio pleno possedit. Pulcherrime sanè Domine, & plane ex
medulla intris diuini & humani eam defendis mulierem, & ingeniosissime
eam laudas, dum vituperatur ab alijs, dum tu dicis: Præuenit partim vt, si-
cut alias sæpius, ita & nunc, insinuares mortem tuam esse præforibus, & ut
vel sic ad conuersionem proditor iste duceretur, & ageret pœnitentiam.
Sed & docemur Domine hic à te non temere aliorum opera indicare cum
ignoremus qua intentione fiant, ideo & merito Iudas reprehensus & alij
imitatores eius, imò etiam docemur opere externo Deo & Dei obsequijs
cultum adhibere, eumque esse valde meritorium, cum illo meruerit, illa
mulier tam diuinam sui facti defensionem & laudem.

Cælestis rex æterne considerans ista omnia mysteria, tam in spiritali-
bus quam temporalibus rubore confundor. quia ita parcus sum in
temporalibus, vt vix aliquid eorum, quæ dedisti mihi temporalia, dignè
profundam in tui gloriam maiorem, & in spiritalibus ita sum sæpe tepidus
vt vocem tuam intus adclamantem non audiam velocissime & curram
viam mandatorum tuorum uti hæc mulier currens, sicut ceruus desiderans
ad fontes aquarum: parce igitur Domine, parce Deus: & nunc obsecro aperi
oculos meos vt dona tua melius cognoscam & iisdem rectius vtar quam
hæc erus feci, amoris tui scintillas in me excita & accende vt carnalia &
caduca omnia penitus me non afficiant. Et ex cognitione donorum tuo-
rum & gratiæ tuæ, semper ex animo gratias tibi agam, semper magis ma-
gisque tibi seruiendi desiderio inardescam, & ardorem hunc etiam exter-
nis operibus, cum filijs S. Matris meæ Ecclesiæ Catholicæ genuinis, con-
tester.

§. 19. *Præuenit ungere corpus meum in sepulturam. v. 8.*

Potest hoc intelligi propheticè, quasi mulier effundens unguentum tua
prophetasset facto suo, insinuans quod nunc viuens valensque inungeret

B a

Christum

Christum dilectum suum, cuius postea inungendi sibi, non esset futura facultas, propter persecutiones imminentes, quomodo aliqui sibi adhuc spirantibus curant sepulchrum effodi, & tumbam feralem, in qua requiescant post obitum. Potest etiam intelligi ironice, quasi, Christus Dominus in Iudam murmurantem retorqueret hunc sensum tu vir & discipulus paulo post me ita tractabis, per Iudæorum manus, ut ne quidem illi sit futura copia inungendi me mortuum, & tu murmuras quod me tempestiue ideo inungat, ne proditus à te unctio à morte mea in sepultura careat! pudeat te, erubescere Mare iniquitatis, & murmura super te, tibi esto molestus, dignus, illa non meruit. tu quantum in te est me etiam sepultura spoliabis, illa autem non sepulturæ modo honore donare se ostendit, sed & unctio.

Domine Iesu Christe, magna est differentia inter iustos & peccatores, valde dispartiter procedunt, tu tamen mitissimus omnium hominum non procedis acerbè contra peccatores, dum adhuc viuunt; sed ungis, lenis, curas, cõsiderans nouissima eorũ, & morum grauitate magis condolet eis, quam irasceris, obsecro te damihi etiam huiusmodi benignitatem & compassionem.

§. 20. Amen dico vobis. v. 9.

Amen est vox Hebræa communicata Græcis ac Latinis, estque in vtroque testamento frequens, pro qua solent aliqui interpretes transferre fiat: & aliquando est vox optantis, & precantis vt quod dicitur, vel petitor eueniat: sic multi terminantur psalmi & preces, quorum in fine ponitur amen, pro quo interpretes Latinus 70. secutus exposuit fiat, fiat, & in hac significatione ab initio nascentis Ecclesiæ est vsurpatum, vnde mos fuit vt fideles post recitatas preces responderent amen, vt patet ex 1. Corinth. 14. e. Qui mos etiam hodie perseverat, respondente populo Christiano uniuerso per chorum vel vno aliquo nomine omnium (dum sacra peraguntur mysteria.) Amen, qua voce significant etiam se assensum præbere & ratum habere, quæ in altari à sacerdote fiunt atque dicuntur &. Interdum est vox vehementer aliquid asserentis, pro qua Latine dicitur vere, profecto, vel certe, vt hic; Amen dico vobis. vbiunque predicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerso mundo, & quod fecit hac narrabitur in memoriam eius: aliquando ad maiorem audientiam habendam & memoriam, si quid mandandum, vt seruetur sedulo, sicut Nicodemo est dictum, Amen, amen dico tibi. nisi quis renatus fuerit aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei.

Domini

Domine Deus salutis æternæ cum quidpiam affirmare voluisti & inculcate & concludere pro gloria patris tui, & docere, & saluare peccatores vsus es communiter verbo *Amen*, quod est interpretatum *fiat* siue *fiat*, ad spem desideriumque monstrandi accipienda certo ea quæ promissisti uti in illa Dominica tua oratione nos instituisti. Da gratiam cunctis Christianis, ut quoties illa voce utuntur, ea cum insigni pietate, uti sacra re à te usurpata utantur. & fac ut populus tuus Christianus à iureiurando abstineat nec formulis pessimis illis & execrandis assuescat, aut si iam assueuit citissimè desuescat.

§. 21. *Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerso mundo. v. 8.*

Hic manifestè prophetam agit Dominus, vaticinando quod Euangelium suum prædicandum sit in toto terrarum orbe iuxta quod dicitur ab Apostolo de Apostolis ex psalmo quodam: *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terra verba eorum*, qua nota vel signo solo discere potest omnis Christianus non aliam esse amplectandam fidem quam quæ prædicatur per totum mundum. Illa enim est genuina Christi religio & fides, in qua sola saluandæ sunt omnes gentes. vnde etiam misit eius statim post resurrectionem & ascensionem tuam discipulos per varias prouincias mundi & regna vt hoc Euangelium prædicarent, dicens: *ite in orbem terrarum & prædicate: docentes &c.* Vides ô Christiane veritatem & fundamentum fidei tuæ, lætare igitur & exulta. Tu vero ô Hæretice cuius fides nec omni fuit ab Apostolis tempore, nec adhuc hodie in omni terrarum Regione prædicatur, ingemisce & dole: Dic tecum maturè. Vnde? quo veni per Lutherum, Caluinum, Mennonem &c. & vel nunc sequere veritatem Euangelij, quod prædicatur in vniuerso mundo, non in aliqua solum parte temporis vel mundi & conuertere vt saluus fias, sine enim hæc fide impossibile est placere Deo. & noli dicere tibi, etiam fides Lutherana mea prædicatur in vniuerso mundo, quia quis oro Lutheranus in Asia, India orientali, Africa imo India occidentali prædicat Lutherianum Euangelium; quas inde proferre potes historias, quas tamen omninò inde habent Catholici à Romanis eo missis Religiosis & clericis, quis ante Lutheranos per omnia docuit, uti Lutherani? Nemo.

Summe pater Omnipotens æternæ & clemens Deus, te oro vt veram illam rectam & sinceram Romanam fidem mihi largiaris semper quæ nec interrupta est, & nullis errorum triticis inuoluta, nec labe peruersitatis in aliquo dogmate maculata est. Da etiam vt opera mea fidei conueniant, ne

B 3

fides

fides bona malis operibus inhonoretur, ne te vita mea impura abnegare videar, quem fide vera confiteor, nihil quod falsum ac vanum sit cogitem vel eloquar, utque te vnum timeam, amem, colam, & tua præcepta obtemperem.

§. 22. *Et quod fecit hac narrabitur in memoriam eius. v. 9.*

Altera Prophetia Christi est, quod sicut Euangelium & passio ipsa prædicabitur in vniuerso mundo, ita Magdalena beneficium Christo præstitum sit toto orbe laudandum, contra istum murmuratorem & furentem, ut sic mulier illa deuota, passa calumniam in priuato recipiat gloriam in toto orbe de obsequio quod Domino exhibuit; ille autem, qui obsequio eius detrahere non timuit æquè longe lateque infamaretur: Ecce anima mea Religionis veræ & sinceræ efficaciam, cuius vi mulier illa in benedictione est: Ecce quam bonum seruire Deo, illum colere etiam externis ceremonijs, & non solo spiritu ut volunt hæretici, quid enim Reges ultra querunt, quam memoriam præclare benefactorum & ut viuat eorum posteritæ virtus; Ecce Regū votum è paruo opere Christus Mulieri piæ promittit post funera, nempe toto orbe virtutum suarum prædicationem: nec in vna parte mundi, sed in toto orbis circuitu: Imitare Mulierem hanc Christiane qui virtutum tuarum præconium apud Deum & homines esse desideras.

Domine nimis, siue valde valde honorati sunt amici tui Deus, non solum in cælis, sed etiam in terris quis enim potentium huius mundi Cæsarum, Regum, Tyrannorum potuit obtinere eam gloriam, quam peccator Petrus, Ioannes &c. obtinuerunt, desipit certe qui gloriam alibi quam in tuo seruitio solidam veramque inquit. Et ego igitur me factis dedam seruitijs tuis, ut in æternum gloriosus sim apud te, etiam si in terra contemnar in terris.

§. 23. *Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim. v. 10.*

Describit hic Euangelista Iudam nomine proprio & agnomine vocando Iscarioten ad distinctionem Iudæ Thadæi consobrini Christi, quippe ex Iscarioth vico Samariæ oriundus fuit, addit quod fuerit vnus de duodecim Apostolis electis specialiter à Christo ad Euangelium prædicandum toti mundi, & hoc in aggrauationem peccati illius & ingratitude, iuxta psalmistam dicentem: *Qui mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulauimus cum consensu: & pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: & posuerunt iugum meum mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: Exeat ergo condemnatus à cælo.*

à consortio Christi, à societate discipulorum eius, à mensa Christi quia diabolus stat à dextris eius, fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, quoniam dilexit maledictionem & euenit illi & noluit benedictionem & elongata est ab eo, quando à vero Pontifice animarum iuit ad Pontifices Iudæorum.

Iesu bone Domine, vnde tanta maledictio? anne tecum quis existens perire potest, qui dixisti per Prophetam: *Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris: & cum perverso peruerteris?* Sed agnosco sententiæ huius vim non necessitatem interre sed quid humanitus fieri solear & sit prouum docere. non enim profuit misero huic sanctissimum Christi Collegium. annon enim hic Iudas electus à te cum cæteris Apostolis tuis? annon cum Sanctis conuersatus est? & quidem tecum quo nil sanctius, nil perfectius nihil omnino Quomodo igitur peruersus est? quomodo pergit? & recessit à te & sancta tua societate? *noluit intelligere vt bene ageret,* vidit bona exempla, audiuit pijs adhortationes, promissiones amplissimas regni cælorum, hæc floccipendens iniquitatē meditatus est in cubili suo, astitit omni via nec bona sic perijt, sic induit maledictionem sicut vestimentum. O te miserimum Iudam, melius tibi fuisset si natus non fuisses: aut non inter sanctos Apostolos connumeratus esses. Deus adiuua me miserum peccatorem, licet indignum me fatear tua facie ob multitudinem iniquitatis meæ, nec sinas me perueri aut perire, aut separari ab electis & sanctis tuis.

§. 24. *Abijt ad summos Sacerdotes. v. 10.*

Abijt à Christo ad summos Sacerdotes, non vocatus, non citatus, sciens congregatos in domo Caiphæ contra Christum Dominū eo quod oderant eum, sicut & ipse Iudas, modum captiuitatis & executionis propalaturus, vt captaret eorum benevolentiam nummos lucraretur, ad honores promoueretur, & dignitates. Sic omnes auari & ambitiosi, modo lucrentur, perueniantque ad intentum siue honores siue diuitias abeunt à Deo ad diabolum, à Creatore ad Creaturam, emunt, vendunt produnt sine respectu Dei, honoris, & conscientiæ, Miserum genus hominum; quilibet fluctibus iactaris! quantis ventis!

O bone Iesu quam sæpe recessi à te? abijt à te? abscondi me à te? vt non curretem viam mandatorum tuorum, sed magis irem contra te, ad consilia impiorum, confortia iniquorum, in quibus te prodidi, vendidi, etiam sæpe pro nihilo propalaturus nequitas animæ meæ contra te. Heu abijt cum Iuda, redeo cum prodigo, tu me suscipe Pater amantissime!

§. 25. *Vt proderet eum illis. v. 10.*

Ecce exitus, secessus à Christo & Sancta Apostolorum Societate, prodi-

proditio Magistri sui, & hanc malitiam meditatus diu in corde suo erat, sic omnis qui se separat à bonis, in periculo magni naufragij & animi, & corporis constituitur, maximè si diuerterit ad malos, Deum non timentes mundi amatores, diaboli affectas, vt hic Iudas. cur autem Iudam elegerit Christus in Apostolum cum sciret fore sui proditorem? mira vulgo questio, sed eruditis non tanti momenti, elegit enim Dominus Iudam, non vt proderet, sed vt prodicionem ceteraque crimina dedisceret. Postquam tamen ista dediscere noluit vsus est Dominus eius malicia in bonum publicum, & permisit eam esse priuato exitium. Quomodo vero in bonum publicum vertit Iudæ malitiam Christus? pulcherrimè, illam namque adiecit ad cumulum passionis suæ, sinens eam esse plenissimam malorum omni genere inter quæ fuit pati quoque à discipulis, & prodi ab eorum vno: tum vt doceret nos altissimam viam patientiæ, tum vt ostenderet vim libertatis humanæ.

O Desiderium Sanctum Christi Domini mei admittentis omne genus tormentorum! ô amor Christi inscrutabilis! ô virtutum omnium exemplar primum & vltimum, quis mortalium eligere vellet sibi amicum quem sciret futurum sui acerbissimum proditorem! quis socium vitæ & mensæ quotidie & ad arcana ipsa pectoris patefacienda adhibere, nisi esse Deum cum eo: sis ergo mecum Deus meus vt tuo edoctus exemplo beneficiam his qui oderunt me, si à socio desertus, si ab amico proditus fuero, moderate feram, errasse in me iudicium, in illo perijsse beneficium.

§. 26. *Qui audientes gauisi sunt. v. 11.*

Quinam illi? Summi Sacerdotes, Scribæ & Pharisei, quibus se obtulerat, hi enim audientes Iudam de voluntate prodendi Christum Dominum & magistrum suum sese offerre & modo, & tempore opportuno super quibus iam ipsi parum efficaciter conuenerant consulando in aula Pontificis, ad hæc eundem Dominum odio habentes maximo, cum despecto non possent quidquam pacificè loqui aut audire, gauisi sunt gaudio maligno de oportunitate, sicut qui *latantur in mense & sicut exultant victores captiua præda, quando diuidunt spolia*: ô miserum mortale genus! ô insipientes Pontifices & male doctos in lege: sicine docuit lex vestra gaudere in prodicione alicuius: nonne proditor Domini dignus morte? qua igitur dignus pena, qui lætatur in ea, iuuat & acceptat, nunquid non eadem pena maintainendus, & qui furatur, & adiunat furem & furtum: quomodo igitur lætati mini in tam enormi prodicione? lex vestra condemnat vos, eadem ait vos & proditorem istum dignum esse pæna, qui eidem involuti estis & culpam Domini

Domine Iesu, piissime Iesu, scientissime Iesu docuisti nos gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, non autem in malum sed in bonum; igitur consilium tuum & doctrinam tuam sequar ut nunquam gaudeam de malo, sed semper iugeam omne malum quod ex iustitia non oritur, scilicet peccata omnia: ut in fine vitæ audire merear me vixisse secundum benedictam illam à te pronuntiatam sententiam: *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.*

§. 27. *Et promiserunt eis se pecunias duros. v. 11.*

Quia lætabantur in corde suo, ob datam occasionem expediendæ malitiæ suæ per Iudam, ideo promittunt eis pecunias duros, ut continet malitiam suam & furorem conceptum, & ne dimittat hæc mala spe præmij & remunerationis eum inuitant, imo obfirmant, quia animaduertebant Iudam spe pecuniarum accipiendarum grande hoc scelus concepisse, & sese obtulisse ad obsequium principum Iudæorum, quanquam pecunia universim eius est conditionis, ob suam late patentem utilitatem, ut facile homines proriter. Idcircoque tanto etiam magis suspectè tractanda ni scelus, ni grande crimen, nisi proditorem ipsius Dominici Corporis & sanguinis velis in te admittere.

Quot Iudæ hodie! quod proditores Christi sanguinis adhuc exstant in rerum natura, quorum aliqui eum vendunt per falsa testimonia, & iniustas sententias, pecunia corrupti: Quot olim prælati, & forte etiam nunc beneficia sua Ecclesiastica conferunt spe pecuniarum, & quot clerici forte eadem emunt vel dividunt more Simonis Magi, qui ab Apostolis spiritum sanctum emere intendebat, ut usuram inde caperet? Hi non considerant verba Christi Matt. 10. *Gratis accepistis gratis date;* Alij bene beneficijs onerati, ne quidem vel semel gratis templum ingredi sustinent, aut missam celebrare aut concionari sine prævio stipendio, quid verò isti faciunt aliud quam quod sequuntur Iudæ avaritiam & perditionem, si non alio, quam pecuniarum intuitu ista faciunt? Crepus igitur Dominum cum psalmista David, ut nos liberet ab hoc malo, dicentes: *Inclina Domine cor meum in testimonia tua & non in auaritiam. auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me: statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.*

§. 28. *Et quærebat quomodo eum opportune traderet. v. 11.*

Habita promissione stipendij malitiæ suæ, En ut prosequitur finem, ab illo enim momento temporis nil aliud cogitat, nil molitur secum, quæ quomodo quo loco, quo tempore, qua via, qua fallacia, qua sagacitate do-

C

minum

minum comprehendat vel solus vel cum paucis a seclis, ut cum Iudæis ostendat & tradat seu aperte seu occulte, omnem ad id mentem commovebat, omnes intruebat infidias, omnem curam, omnem diligentiam sollicitudinem: & cuncta hæc mala cupiditas procreabat, qua captivus detinebatur, ut omnium Christi beneficiorum in se oblitus, disciplinæ, piarum admonitionum, adhortationum, exemplorum, conversationis, quæreret solum quomodo eum opportunè traderet. En quantum malum amor pecuniæ, quam inquietum malum, quam abominandum, per quod fides violatur, Societas dissipatur, amicitia tollitur, parentes contemnuntur, Deus venditur.

Longe igitur sit à me Domine, pecuniæ amor, spes lucri temporalis valeat, non nominetur in homine quarente Deum: seruent eam Mercatores qui terrenis inhiant: Ego pauper spiritu cum paupere Christo contentus in cælestibus quæram esse dives.

§. 29. *Et primò die azymorum quando pascha immolabant, v. 12.*

Annotat hic Evangelista tempus, circa quod proditio hæc facta est, in diebus scilicet azymorum, sed an in ipso primo è septem diebus azymorum? an pridie primæ diei azymorum video apud eruditos controuersi. Herwartus Bauariæ Cancellarius in chronologia Noua urgentia afferat argumenta, cur pridie primi diei azymorum debeat intelligi, utcumque autem id sit, dies Iouis erat quem decimum tertium quidam, alij decimum quartum diem primi mensis Iudaici fuisse asserunt, quo tempore fermenta abijcere & immolare paschalem agnum more patrio solebant ad vesperam & eundem assatum cum lactucis agrestibus manducare, stantes, loci cincti lumbos, & baculum in manu, ut peregrinantes, tenendo. Quo etiam tempore pascha verum, agnus Dei innocens, immolatus est Christus, & quidem duplici modo, nempe incruento & cruento. incruento quidem cum se ipsum suis manibus tenens secundum ordinem Melchisedech, obtulit Deo Patri, suum Corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini, ea constituendo in æternam oblationem pro remissione peccatorum, & tradendo discipulis suis eadem mysteria celebranda usque ad finem mundi. Cruento vero modo tunc oblatus est, cum nocte infecuta post oblationem incruentam à Iuda traditus, à Iudæis tentus, ac ligatus, ipsius passionis luctu curriculum morte sancta in cruce expansus consummatit.

O Vere innocens Iesu! O Agne immaculate Iesu! quam vere & bene appellamus pascha nostrum, qui totis animi medullis desiderasti, in hac solemnitate festi immolari pro nobis, ut vitam habeamus, & abundan-

ius habeamus: & quo magis inimici tui etiam in hoc festo festinabant te
 assequi & occidere: eo ardentius & tu immolari pro ipsis auebas & vitam
 tuam dare pro vita ipsorum.

§. 30. *Dicunt ei discipuli: Quo vis eamus & paremus tibi, ve manduces
 pascha. v. 12.*

Prædie igitur vel primò azymorum accedunt discipuli inter quos erat
 & Iudas ad Iesum dicentes: quo vis eamus & paremus, tibi comedere pa-
 scha? quasi dicerent: nouimus te Domine quia tenacissimus es obseruator
 legum: & iam instant dies solemnitatis azymorum, in qua conuenit man-
 ducare agnum paschalem: & ecce stamus ad obsequium tuum, manda so-
 lum & commenda & parabimus sicut nouimus te velle: sed quid est quod
 dicitis pauperes, vagi, piscatores, vbi vis? Ergo omnium ædium vos domi-
 ni estis? ergo vbique vos Christo conuiuium instruere poteritis: non equi-
 dem tantam tunc in eis fidem fuisse audeo credere, sed potest dictum illud
 simplicius, uti inter homines assolet, intelligi, cum rationabilem, non mira-
 culis fultam inquirimus voluntatem proximi, dentes vti vis &c. aliàs, si
 tanta in discipulis viguit fides, ita verba eorum accipi possunt; poterimus
 ubicunque modo ipse mandauerit: iubeat sibi in Pilati prætorio instrui
 epulum, fiet. iubeat in Herodis regia, non morabimur: iubeat vel in Tiberij
 Cæsaris triclinijs, instituetur, à Domino vniuersorum non est petendum,
 nisi quid velit. Si sic accipimus apparet certe hic animus in Apostolis excel-
 sus, & dignus Christi schola in ijs discipulis, qui olim ad sequelam vocati
 relictis omnibus secuti sunt eum.

Deus meus & Dominus, animatus voce discipulorum tuorum solenni;
 quam & S. Paulus Apostolus primam esse voluit in sua conuersione, fi-
 denter dico. *Vbi vis, Domine, vbi vis tibi præparem comedere pascha? vbi
 vis me tibi seruire? in statu Religioso? an Ecclesiastico, an sæculari? Dic,
 Vbi vis, ego per tuam gratiam conabor ibi tibi pascha parare, ubi tu signifi-
 caueris tibi magis placiturum.*

§. 31. *Et mittit duos ex discipulis suis. v. 13.*

Petrum scilicet & Ioannem primos Apostolorum & dilectione præ-
 latos ad præparandum finem veteris legis, & initium nouæ per cænam, in
 qua verus tandem apponeretur agnus paschalis. Prima enim fuit hæc
 manducatio Christi veri Agni paschalis & sepelitio veteris. Prima inquam
 manducatio corporis & sanguinis in nouo testamento, & paschalis cuius
 materiam ambo isti præpararunt: & quia Sacramentum intimæ dilectionis
 erat (in fine enim dilexit nos) teste eodem Ioanne, dando & instituendo

hoc Sacramentum Eucharistiæ in remissionem peccatorum Ecclesiæ, ideo & misit primarios Ecclesiæ futuræ ministros & dilectione plenos: tanquam Moysen & Aaron, ad præparanda materialia tantorū mysteriorum, in quibus duobus legatis possumus considerare duo præcepta charitatis, Dei scilicet Amorem & Proximi, ad quorum finem hoc nouum Testamentum Eucharistiæ & oblatio, &c. instituta fuerunt.

Charitate exuberans, Domine Iesu, omnia ex charitate operaris & mandas nos ex eadem operari, *Diligam igitur te, fortitudo mea, firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, protector meus & cornu salutis mea, & susceptor meus.* Concede etiam Domine ut proximum quemque, siue amicum, siue inimicum perfecto amore prosequar, non verbo tantum sed etiam opere & veritate: non propter formam, ingenium, dexteritatem, opes, nobile genus & huiusmodi fluxa duntaxat sed propter voluntatem tuam, & desiderium tuum, exemplum tuum & præceptum, tunc enim illum propter te veraciter diligo. aufer à me omnem amaritudinem, malevolentiam, iram & inuidiam; omnem impatientiam & suspicionem malam, & quidquid denique Christianæ charitatis quoque modo aduersatur illa enim naturæ corruptæ vitio vehementer nobis inhærent ad fibras cordis demissa.

§. 32. *Et dicit eis: Ite in Ciuitatem. v. 13.*

Ite, hoc est, mitto vos, ad iusta implenda at quonam ibunt? Vtique in ciuitatem: vbi conuenerunt tot millia ex omni natione quæ sub cælo est, ut ibi celebrem eius festis solemnitatem & agnus verus Dei, ab initio mundi figuratus occidatur & reueletur.

Sed cur ô Christe non moraris in Bethania in domo Marthæ & Mariæ in præsentia piæ Matris tuæ, ut ibi cubes, ibi cænam sumas & agnum tuum paschalem instituas? ibi enim cuncta tibi ad placitum ordinantur, cum omni affectu? Agnosco dispensationem tuam Domine, quia sic placitum est coram patre tuo, ut consummentur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: Et quia ipse neque domum habebas, nec vbi reclinares caput tuum benedictum, præmittis discipulos tuos quasi mendicatum pro domo & pro cæteris necessarijs in ciuitatem? O inaudita pauperies! ô humilitas inestabilis! Dominus qui sedet super Cherubin, & cæelum sedes eius est, & terra scabellum pedum eius, qui velut lilia terræ, & volucres cæli pascit & nutrit omnes mundi creaturas: cum nascitur in mundo suo non inuenit hospitium, cum legem implere desiderat agni paschalis rem pro figura vel typo daturus mundo, mendicatum mittit cum

mortu

moritur non habet terræ particula... propriam, sed conditur in alieno sepulchro, & inucluitur sindonialiæ &c.

O Mundi fabricator Deus qui mittis alio mendicatum hospitium vt ibi requiescas, manduces, opereris mysteria, veni in cor meum ibi quiesce, ibi operare ibi fige tuam sedem, vt sit tibi per grata & ornata aula: quia id tibi offero soli. paratum cor meum, paratum cor meum ad omnia, quæ desideras.

§. 33. *Et occurret vobis homo lagenam aqua baiulans. v. 13.*

Mittendo discipulos ad ignotum hominem innuit discretè Christus magno illo miraculo, quo cordis humani sese Dominum ostendit, quodq; non posset pati, si nollit pati. nam qui mentem ignoti nouit disponere vt ipsos reciperet suomet cum detrimento, quid non posset operari in notis & nocentibus ipsum, præsertim in ijs rebus quæ ijsdem prodesse noscerentur, inter quæ indubie erat, si ipsi Dominum gloriæ non crucifigerent, sed seruari. Dum igitur hoc miraculum innuit prudentiam vnâ inculcat, & discipulis præscribit signum, vt domum ignoti viri inuenirent, dicens: *occurret vobis homo lagenam aqua baiulans.* Ergo primo ad feruum illum missi sunt, qui lagenam aquæ baiulare; sed illo mediante ad Dominum eiusdem diriguntur. Mira, mira. Futura contingentia æque ac libertatis arbitrio subiecta video te prænosse & prædisponere posse. Domine Deus & Saluator meus, quid iam timeam? Quid ni in te tuaque bonitate summe confidam? & innitatur.

Domine Deus in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, sine te nihil vsquam recte disponitur, obsecro disponere dignare ante faciem prædicatorum tuorum, Episcoporum & Prælatorum &c. curantiū animas tuo sanguine redemptas, vt verbum eorum sit placitum in cordibus auditorum quos tu mittere ad illos dignaris.

§. 34. *Sequimini eum.*

Hoc est imitemini eum nunc corporaliter postea cum reuelatum fuerit regnum meum etiam spiritualiter nempe in laboribus pro Deo nocturnis huc diurnis, in patientia, in obedientia, mansuetudine, fidelitate, paupertate, baiulantem corporaliter quidem aquam pro vsu Domini sui, sed mysticè significantem quod sacerdotes Dei, vbi inuenerint pœnitentium lacrymas super peccatis, debeant Domino parare pascha, nam quid aqua in sacra scriptura denotatur nisi vel populum pel pœnitentiam, vt discan

cant Sacerdotes Domini & populum portare, & peccata eorum latere in doctrina sana, & mansuetudine corripere inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, patientes esse ad omnes. Hoc igitur Dominus egit in serui aquam baiulantis mysterio, ut ostenderet se iustum, id est suum letuum deducere per vias rectas, & ostendere illi regnum suum, & dare illi scientiam sanctorum, honestare illum in laboribus, & complere labores illius, quos in dispensatione mysteriorum Dei impendere tentur.

§. 35. Et quocunque introierit. v. 14.

Tam cæcam & voluntariam voluit esse obedientiam Petri & Ioannis, Apostolorum suorum, sicut & aliorum, ut qui pro Christi nomine & ad vocem eius reliquerant patrem & matrem, domum & agros, fratres & sorores, etiam sequerentur ad omnia quæcunque mandauerit eis cæca voluntate, sine contradictione, replicatione, petitione causæ, curiositate, aut simili affectatione humanæ sapientiæ: unde hic dixit: quocunque introierit, non domum interrogando, non Dominum, aut signum domus; sed solum ut sequerentur illum quem Christus sequi, ipsis mandasset: nec mirum enim errare non possit in errorem eos utiq; non inducet, sed in verbo eorum securè procedent. Religiosa sane est hæc doctrina & perfectio magna, ut nam eam saperemus & intelligeremus quicunque mundo abdicauimus nos, ut superiores nostros non causam, cur hoc illudæ superior mandauit sciscitemur, nec cur id fieri permiserit examinemus, inde enim murmurationes, oblocutiones & opiniones periculose inter fratres introducuntur, & ex paruo incendio vel scintilla opinionum magnus & inextinguibilis ignis sæpe oritur oppositionum, oblocutionum, inobedienciæ, rebellionis, inuidiæ, tristitiæ, morborum, & mortis etiam æternæ occasio.

O Deus, ab hoc malo iudicij proprii & voluntatis propriæ libera oblocutionem omnes subditos & sub obedientia constitutos, ut quodcumque ei imperatum erit, & manifeste tuis aut Ecclesiæ præceptis non est contrarium id omne simplici animo & cæca voluntate exequantur.

§. 36. Dicite Domino domus, quia Magister dicit. v. 14.

Ecce aliud magnanimæ obedientiæ instrumentum, scilicet, quia Magister dicit: mirum verbum, quod iam olim huic nostro Magistro Pythagoras suffuratus, tanquam suum apud suos vendidit; Sed quid dicam non timebas Christe, ne Dominus, qui hoc audisset ambigeret, quis ex tot Legum Magistris ac Doctoribus id iuberet, ne forte se à Gamaliele nuntium pararet accipere, aut à Nicodemo qui & ipse erat Magister in Israel, nisi forte iste Dominus sciat quod Christus sit magister vnicus, ita ut, licet multi magister

magistri sint & dicantur, ipse tamen cum velit, facturus sit, ut quos ipse doceret, agnoscerent vocem eius & scirent nullum in terris esse alium sicuti ipse est summus omnium magistrorum; Ita est, ita credo. Quis non ad hunc audiendum magno animo accedat, qui multo veriusquam antiquus ille in Italia Pythagoras, eam apud omnes auctoritatem obtineat ut eum dixisse sit discipulis satis, quanto magis ubi loquebatur Dominus dominantium, Magister magistrorum, verbum diuinum, sapientia patris, Imago gloriae Dei?

DOCTOR DOCTORUM, Domine & Magister vnice, cuius scientiae & sapientiae non est numerus, & à quo est omnis sapientia & scientia Doctorum, da mihi etiam sedium tuarum assidricem sapientiam, qua mecum sit, mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, & quidem ante omnia da mihi humilem in tuis mandatis vel per te vel superiores in Ecclesia tua propositis sequelam, deinde, si tibi ita placet, da etiam intelligendi acumen vitae & passionum tuarum, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam, de ijs ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas meritis vitae & passionum tuarum, id per te Iesu Christe Saluator mundi & rex gloriae, magister, Deus meus, vnice deprecor.

§. 37. Vbi est refectio mea. v. 14.

Ad litteram his verbis locus refectiois virium, per labores detritarum, quem Refectorium vocant quidam religiosi, indagatur, & is quidem facile in domo aliqua monstratur, & reperitur, at mysticè videretur hic Christum voluisse domus Domino indicare aliud. nam Dominus domus occulto sensu potest appellari hominis voluntas, & illius minister dici eiusdem intellectus. ad illos igitur destinatur Petrus & Ioannes, cum ad voluntatem & intellectum hominis verbum salutis & exhortatorium tam actiuae quam contemplatiuae vitae transmittitur, nam vnus horum Apostolorum solus Domino non recte parat refectioem, nisi ei & alter adiungatur, & propterea S. Bernardo teste Iesus in castello illo excipitur vbi & Martha & Maria inuenitur, nec deest Lazarus cum poenitentiae scopa.

Eheu mi Iesu seruator cordium Deus, mihi haec verba dici intelligo à te, vbi est refectio mea? & vix respondere audeo, quia Dominus domus animae meae, Ratio scilicet tam saepe foris vagatur, ut tui curam non habeat, ut domi non inueniatur cum mittis pro refectioe, qui continuo tamen tibi aduigilare & attendere deberet, vti Domino suo Creatori, quid velis, quid petas ab ipso, quam optimus, quam nobilissimus, quam sanctissimus
sis,

sis, & ad tui amorem quoque attrahere voluntatem, ut se circumcidat, abstrahat ab omni quod tu non es, ut te solum toto & nudo corde diligat & desideret, ceteraque omnia propter Deum & in Deo, emendationem huiusmodi inordinationum mearum humiliter peto.

§. 38. *Vbi Pascha cum discipulis meis manducem. v. 14.*

Hæc verba existimet vnusquisque sibi dicta, & ex se quæri quotidie, nimirum tecum esse in ore tuo, corde, corpore, mente, viribus, anima tota desiderat Christus ut nihil in ijs vel cogitetur vel agatur, quin sit ad gloriam Dei, hoc enim cibus illius est, & pascha mysticum facere & fieri est facere quæ sunt placita Patris: ad literam autem videmus quod Dominus Iesus voluerit cum discipulis suis manducare pascha, quod Deus pater ignauitatem præfigurauit & per manna & per agnum in Ægypto, mandans per Moysen & Aaron die decima quarta primi mensis tunc quidem in festo sacrificij propitiatorij, postea autem cum ex Ægypto iam excessisset, instituit Eucharistici nimirum in signum & memoriam eius, quod eos manu forti liberarat è vinculis Pharaonis & seruitute Ægyptiaca; & hæc ut igitur figuram impleret veritate facta paschati suo celebrando locum aptum requirit, in quo vnâ aboleret Iudæorum pascha & nouum institueret; quod duobus modis ostendi potest, primo ex verbis quæ in manducatione dicitur discipulis, dicens; *desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* An enim illud vetus inane, ac vacuum tantopere desiderarit, & non magis novum, suum & verum, plenum gratia & veritate? Imo vero hoc Idcirco ait, Dico enim vobis amodo non bibam ex hoc genimine vitis donec illud bibam in regno patris mei: quasi dicat; ut sciatis æstum desiderij mei, ecce iam in hac mensa non amplius bibam nisi impletum videam & vos videatis Pascha verum in regno patris mei, quod in Ecclesia Catholica & vniuersali deinceps manducabitur & bibetur, nempe corpus & sanguis meus sub speciebus panis & vini mensura vique ad consummationem sæculi.

Domine, quo me verto, video obedientiam & humilitatem tuam in obseruantia mandatorum patris tui, erubesco autem de inobedientia mea & negligentia multa nimis aduerto studium faciendi quæ sunt placita patri semper in te, deploro ignauitatem meam: ideo desperarem, si nescirem misericordias tuas Domine, & compassionem tuam.

§. 39. *Et ipse vobis demonstrabit canaculum grande stratum & illic parate nobis. v. 15.*

Et ipse Dominus Dominus monstrabit vobis canaculum grande stratum aptum celebrando paschati meo, perspicuus sensus si ad literam capi-

tur, si vero mysticè, dici potest Ratio per notas Ecclesiæ Dei proprias ostendat nobis, imo vniuersis, Ecclesiam Dei per totum orbem terrarum diffusam, quam vos discipuli, potissimum vero tu Petre ac Ioannes, colere debetis, stratum varietate virtutum & linguarum, vt in ea sit vna fides sub vno pastore, in eaque sacramenta ad salutem credentium parentur: secundum vero ite cum fiducia & illic nobis parate, sicut me velle scitis, non sine iudicio magno meæ diuinitatis, quod cum discipulis loquens, quid alibi futurum sit, nouerim, ac si futuris tam sim præsens, quam præsentibus quæ gerantur penetrando.

Domine Deus æterna sapientia & lux immensa, cænaculum tibi offerentis Domini, ipsumque Dominum tuæ claritate scientiæ permouisti & inspexisti, & misisti, qui præpararent id ad tui aduentum vt pascha cum discipulis in eo celebrares cum gaudio & desiderio charitatis pleno: Et ego Domine Deus meus cænaculum cordis mei tibi offero lubentissime parum quidem stratum virtutibus, tu præmitte & ad hoc meum cubiculum, qui id lauent, purgent, præparent ad tui aduentum, vt cum adueneris purgatum & ornatum tibi habitaculum sit in quo delitieris, iucunderis, epuleris, & iuge conuiuium paschale exhibeas. Amen.

§. 40. *Et abierunt discipuli eius & venerunt in ciuitatem. v. 16.*

Secundum mysticum sensum indicatur abituros discipulos eius in omnem terram, docentes quæ mandauerat eis Iesus, pro salute gentium, secundum vero sensum Historicum, abierunt ad mandatum Christi eo tempore ad perficiendum iussa Christi, recedendo ab alijs discipulis, Christi Matre, Magdalena, Martha & Lazaro existentibus adhuc in Bethania circa meridiem: & venerunt in ciuitatem sanctam scilicet Hierusalem, vbi Magister eorum volebat secundum legem, diu præfiguratum illo vesperi comedere agnum paschalem, æternum & verum manducare, mystice exhibendo eas omnes cæremonias, quas Iudæi olim iussi erant corporaliter exercere in sui Typici agni manducatione, de quibus cæremonijs amplius & interpretabilis omnino posset hoc loco esse sermo.

O Felices Euangelizantium pedes, ô illos beatos qui cum Deo dignis vocibus ac sensibus animi agunt, nunquam enim non eorum amplæ expectationi diuina largitas respondebit: Ecce enim, hic Apostolorum fiduciam Dominus approbans confirmauit: inuenerunt quem ignotum quaesierunt Domini sui amicum. Felices Apostoli! felicem, quoque me si ita obediens extitero vt iussa Domini impleam vti vos, & eodem pertingam

D *perfe-*

perfectiois, quo vos peruenistis tunc inueniam certe quem diligit & querit anima mea.

§. 41. *Et inuenerunt, sicut dixerat illis. v. 16.*

Quod inuenerunt? primo hominem baiulantem aquam, seruum scilicet eius cuius dominum querebant, inde domum domini querendi, tertio ipsum herum domus, quarto canalicum grande stratum, & ornatum peristromatis & tapete & triclinijs seu lectulis more orientaliū populorum dispositis.

Felices discipuli, felices famuli qui tali domino seruiunt ad cuius nutum omnia certo fiunt, cuius verbum, ipsa veritas est, promissio factum. O quis mihi dabit tali fidelitate inseruire Domino huic, qua video hos discipulos eidem deseruisse. Utinam horum exemplum Episcopus in suo gradu & Sacerdos in suo & Leuita, & secularis, & quisque imitetur, quam suam nobis foret hæc misera vita!

§. 42. *Et parauerunt pascha. v. 16.*

Nimirum quicquid ad eam solemnitatem opuserat eo die curare, sequenti die cætera curaturi more Iudæorum tunc recepto cum omnibus circumstantijs, quæ ad id festum pertinebant, scilicet panem azymum, herbas agrestes, linteamina, cingula, mensæ sternia, mantilia, aquam, vinum, scyphos, & si quæ alia necessaria essent in aduentum Domini sui, & hoc cum omni diligentia, pietate amore, & sincero cordis affectu.

O Domine, felices discipuli qui mittuntur à te, qui mittuntur ad tuum seruitium, magis felices qui obediunt ad nutum, & parant Domino suo pascha nouum in corde suo quotidie in azymis sinceritatis, & veritatis cum lacrimis agrestibus mortificationum, lachrymarum, & pœnitentiæ felicissimi qui cum eo modo obediunt deinde sedent in canaculo illo colorum grandi strato, & parato omnibus diligentibus se & manducant quotidie contemplando & fruendo agnum immaculatum æternum incomprehensibilem, omnis felicitatis. Ergo mitte & me parare tibi pascha, & concede quæ solo omnipotens, & misericors Deus, quæ tibi placita sunt diligenter & ardentem concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere & perfecte adimplere, vt cum sanctis Apostolis tuis quandoque & electis videam, adorem, & fruam in aula illa cælesti agno illo omnis felicitatis gloriæ, & æternitatis autore.

§. 43. *Vespere autem facta venit cum duodecim. v. 17.*

Cur vespere? multis & prægnantibus causis, siquidem vespera diei

ciuilis finis est. dum ergo vespere venit, finem diei illi, qui fuit Iudæorum proprius, imponere aduenit, Christianis suis nouam facturum diem: à vespere enim incipiebat solemnitas paschæ, & aliorum festorum apud Iudæos: dein occupatus fuerat toto die in instruendis discipulis, vnde lassus ad refectio- nem venit vesperi, nec solus, sed cum duodecim, vt & illi reficerentur, qui toto die eum audiendo lassati, fuissent, viderentque ritus agni veri celebra- di, cum iam presbyteri & Episcopus noui testamenti essent creandi, per institutionem venerabilis Sacramenti corporis & sanguinis sui in remis- sionem peccatorum.

Domine, vespere sæpe pro dolor in nimis sæpe est in meo horizonte, idcirco in luce ambulem, *verba enim tua lux & vitæ sunt, & ipse splendor es patri- tris æterni.* O lux indeficiens me circumcinge omnibus diebus vitæ meæ vt in te permaneam.

§. 44. *Et discumbentibus eis & manducantibus. v. 18.*

Anima mea recordare quibus discumbentibus & quibus manducan- tibus? Vtique Domino cum seruis, magistro cum discipulis, patre cum fi- lijs, pastore cum ouibus, agno patientissimo cum agnis mansuetis, nisi quod vnus rapax lupus Iudas, Iscariotes sese immiscuerit eorum numero sancto.

O Bone Iesu non tibi satis fuit passum fuisse tecum morari crudelem il- lam bestiam, vt velis etiam tecum sedere in mensa, & saturare pane verbi tui, & cibo cœlesti. O me beatum si licuisset huic cœnz adesse, in ea seruire saluatori, colligere fragmenta quæ cadebant de mensa & ma- nu domini, intueri & contemplari faciem eius, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, & Angeli aspiciere desiderant, eius verba audire melle suauiora: sed, ô pie Iesu Domine, parasti etiam mihi mensam eandem, aduersus eos qui tribulant me, pro qua tibi immortalis ago gratias petens saturari ex ea.

§. 45. *Ait Iesus. Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. v. 18.*

De mecum scilicet discumbentibus & manducantibus in eadem mensa vnus certus, sciebat namque pessimas Iudæ cogitationes, sciebat mercatum & pretium Iudæ, sciebat oblationem factam & condictum tri- ginta denariorum à principibus Iudæorum. Hinc ad eius intendens con- uersionem, adhuc monere eum non desistit, quo se contineret, idque non sui periculi gratia, sed amore salutis Iudæ, ne in æternum periret: tantus amor & cura est Christi semper de nostra salute, ne pereamus, sed ut vitam

secum habeamus æternam, tantum abest, ut is nos, uti Calviniani, Calviniani sequaces blasphemant, homines ordinet ad damnationem pereat vocata ista pessima de mundo sed mirandum, cum Christus sciret Iudam proditorem, quare tunc passus est eum in consortio suo? Respondet S. Augustinus quod hoc fecit duplici de causa, primo ut implerentur scripturæ; oportebat enim eum mori pro redemptione generis humani, & ideo secundum debitum iustitiæ habuit sustinere eum per quem sua mors erat procuranda: nonne sic oportuit pati Christum (ait idem, Christus ad duos discipulos euntes in Emaus) & ita intrare in gloriam suam? Altera causa, cur ipsum sustinuerit, ut videlicet daret nobis exemplum, ut neminem à consortio & Communione Ecclesiæ repellamus, nisi sit publice infamatus seu deauctus suomet facto vel denuntiatione.

O Mitissime Iesu tu sciebas pessimas Iudæ cogitationes, & tamen eum de his palam non corripuisti, cum adhuc laterent: sed quæ in publico erant hæc suaviter monuisti: da gratiam ut etiam sic cum proximo agam, si forte male agat vel me offendat omnem illi misericordiam ut conuertere possit, exhibere studeam.

§. 46. At illi ceperunt contristari. v. 19.

Quis bonus non contristaretur audiens à propheta, à Messia, à Domino quod vnus, qui secum est in mensa, secum manducat & bibit, nutritur paternè, educatur exemplariter, imò seruus dominum vellet tradere: quis bonus ad sermonem illum (vnus, vestrum me tradet) non redibit ad cor examinando idem: an fors similis cogitatio illi vnquam venerit in mentem: an quid vel iocose simile locutus sit, vnde Dominus argumentum sumere potuisset, tale quid suspicandi & in mensa prosequendi; aut saltem velle Dominum probare, quid ad adeo crudele peccatum respondere singuli velint? Fateor ergo quod veram & iustam habent discipuli causam sui contristandi, quod inter ipsos duodecim inueniatur proditor, qui nec dominum curet, nec Deum, nec conscientiam; sui que oblitus vellet tantum factum perpetrare, fidem datam frangere, sine Deo, sine fide viuere, cum periculo æternæ damnationis mori.

O Pietas discipulorum! O bona tristitia! O iniquitas Iudæ! O pertinacia! O ingratitude: maior certe quam Iudæorum. Tu, qui electus eras, ut quandoque sederes super vnâ sedium duodecim indicans duodecim tribus Israel, nunc te disponis ut per confratres tuos reus iudicaris: es iniquitate ad iniquitatem transvolans nec conuertere desiderans. Bene igitur Væ, Væ, Væ tibi & millies Væ ingeminavit Tibi saluator, eo quod saluator

nator mundi per te tradetur. Attendant hic Potentes mundi, maximè vero, attendant Prælati in clero, attendant Religiosi omnes, qui in honore sacro positi sunt viciniore Deo ex officio, ne sui & honoris obliuiscantur, cum Iuda deprimantur & mereantur ut iudicentur olim à subditis suis & inferioribus, & condemnentur.

§. 47. *Et dicere ei singillatim : Numquid ego. v. 19.*

Pleni timore filiali, interrogant patrem, si fors ignorantes peccassent, ut eis singillatim vel aperte vel secreto insinuaret, ut docti emendarent & pœnitentiam agerent: scientes non esse peccatum quod fecit homo, quod non faciat alter homo si desit rector à quo factus est homo, licet in conscientia tunc non convincerentur. quid autem Iudas? Post omnium Apostolorum interrogationes tandem & ipse interrogauit versuto consilio, ut similia cæteris interrogando celaret proditiōis consilium: cæteri enim, ut Matthæus habet, qui non erant prodituri, dicunt: Nunquid ego sum Domine? Ille qui proditurus erat non Dominum, sed Magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit.

A Mo te ô Pietas discipulorum: Damno te ô impietas Iudæ; Benedico vos ô Conscientiæ timidæ bonorum: Maledico autem te ô desperata conscientia proditoris, illi solliciti sunt ne eorum maculetur vel inscienter conscientia aut maculara sit, hic sciens eam defædatam adhuc pertinaciter animat, & cum bonis interrogat Dominum, nunquid ego sum qui te tradam? non ut emendetur, sed aliorum interrogationem ut in dubium vocet: felices igitur vos Apostoli qui cum Christo simpliciter in veritate ambulatis, non in iniquitate & simulatione, cum Iuda. Utinam ô bone Iesu & ego non ita durus sæpe mansissem, ad tot tua miracula & veritates, tuasq; claras monitiones & inspirationes: nunc ergo obsecro da gratiam ut in omni actione sim ita sollicitus de bona conscientia, uti Apostoli erant, qui sibi diffidentes, in seipso inquirebant, an in se esset malum, quod ante nesciebant, audiebantque alicui inesse: imo magis obsecro, ut ad factum iniquum, possim libere & cum conscientia bona interrogare nunquid ego? verum in simplicitate & sinceritate, humilitate &c.

§. 48. *Qui ait : vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum
in catino. v. 20.*

Quia summe dolebant Christum, Dominum, Patrem & Magistrum suum, à quo toti pendeant, sibi eripiendum per proditiōem, eamque faciendam per vnum è suo collegio, quæ summa erat iniuria, indignitas &

D

colle-

collegij totius infamia, valde turbatos & suspensos ne forte dissensio & suspicio mala inter eos oriretur, noluit pius Dominus eos diutius suspensos tenere, sed signo significavit, quis esset dicens: *qui intingit mecum manum in catino*: unde prudentioribus omnino videtur Judas eo momento cum Christo in patinam alicuius iusculi, aceti vel salsamenti intinxisse: sed quia idem faciebant subinde alij Apostoli forte ex hisce verbis Christi Iudam proditorē ab eo signatam, certo cognoscere nequiverint, sed tantum probabiliter. Quia in te in mentem venire potest Catholico Vtraquistarum cum Iuda damnatio, nam proditor intingendo deregitur quasi dicat Intinctores nostri temporis, qui Calicem & bibitionem ad eum urgent pro plebe esse de familia Iudæ. Quare autem Iudam non nominavit Christus, tres videntur causæ, 1. ut eius famæ tenerrimè consulere, nosque idem proximis facere doceret, 2. ne Petrus & Apostoli in Iudam insurgerent, eumque discerperent, 3. ut Iudam hac lenitate & charitate ad pœnitentiam provocaret, & ideo minas statim subiunxit, si non ageret pœnitentiam, dicens,

§. 49. *Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo. v. 21.*

Vadit ex necessitate finis triplici ratione, primo quidem ex parte nostra, quia per eius passionem liberati sumus Ioanis 3. *Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, 2. ex parte ipsius Christi qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis ad dextram patris. Luc. 2. *Nonne oportebat Christum pati & sic intrare in gloriam suam*. 3. ex parte Dei cuius definitionem circa passionem Christi prænuntiata in scripturis & præfigurata, in observantia veteris Testamenti oportebat impleri, nempe in Lege: *Moyse & Prophetis & psalmis in quibus scriptum est & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis. Luc. 22. 24.*

Sed quo vadis Domine? quò sine ministris properas Pontifex sanctæ redemptionis tuæ opus consummare, voluntatem patris perficere: Huc vado. Hoc cibus meus est & vnicum desiderium animæ meæ. Ergo mi Deus vadis pro me ut audio ad crucem, tormenta, mortem? ad me reconciliandum patri, ad me reducendum ad me purgandum nescio quid hic dicam. Frater pro fratre vix audeat mori, & tu Dominus meus & Deus meus pro me vadis mori? A. A. A. Domine nescio loqui.

§. 50. *Va autem homini illi per quem filius hominis tradatur.*

Quia Christus repetit filium hominis insinuare voluit gravitatem peccati & enormitatem, puniendam acerbissime nisi resipuerit in tempore unde minatur væ & æternum væ, quia non solum tradet simplicem hominem Iudas sed Deum hominem, conceptum de Spiritu Sancto, natum

ex Matia Virgine: non enim hominem reparare potuit nudus homo, qui & ipse esset peccatis obnoxius & debitor Deo pro suo proprio peccato, ex quo displicebat diuinæ Maiestati, omnes enim peccauerunt ait Paulus & egent gratia Dei: neque hanc redemptionis humanæ æconomiam subire debuit Deus purus, qui non offenderat: sed erat pars læsa: neque Angelus quia non habet proportionem ad satisfaciendum pro tam magno malo hominum omnium qui peccauerant: id est, non potuit Angelus huiusmodi satisfactionem condignā Deo exhibere, quia non habet Angelus in se dignitatem quantam requirit tota humana natura, quæ, auersa à Deo, debuit reduci per aliquid ei præponderans, dignius & perfectius, quam sit tota generis humani propago. In hac igitur ineffabili vnitate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia reparationem humani generis propriè filij persona suscepit, vt quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil (quippe plasmatum de limo terræ hominem, flatu vitæ rationalis animauit) idem naturam nostram ab æternitatis arce deiectam, amissæ restituetet dignitati, & cuius erat conditor etiam esset reformator: Bene igitur tanta persona Traditori suo minima est, & ob enorme crimen, horribile & tremendum væ.

O Altissime & Omnipotens Creator quid hic dicam? obsecro te ne audiam vnquam ex te æternum Væ, sed vt hoc audire non merear, da obsecro gratiam ne vel Te vel Sancta tua indigne vsurpando vnquam prodam. Sed cor meum omni qua possum facultate te laudet, tibi, gratias agat impendioq; exulter spiritus meus in laude tua & te magnificet anima mea quia gratia tua magna est super me, & super omne quod est homo, quod Saluator eius effectus sis, homo Deus.

§. 51. *Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. v. 27.*

Propter illud impendens Væ, bonum erat ei, natum non esse, quia melius est indiuiduo non esse quam tam male esse nempe æternum, in inferioribus terræ partibus occlusum, vbi sempiternus horror inhabitat nulla lux, dies nulla, tempus nullum, nulla quies, gaudium nullum, nulla redemptionis spes, nulla fides, spes aut charitas; consiliū nullum, intellectus confusus, voluntas pessima, sola deplorandorum memoria, ignis ardentissimus, sulphure & pice accensus, intolerabilius glacie frigus, nullus ordo, clamor immanis, continuus eiulatus & ploratus, maledictiones in Deum sanctos & parentes, & socios peccatores, desperationis signa plurima, contumeliæ, horribiles dæmonum aspectus, verberationes, illusiones, & puneturæ: per quæ enim quis peccauit per hæc & punietur à Carnificibus illis infernalibus imo à se ipso sine cessatione aut mora in sempiternum.

OPæ

O Pœnæ, ô æternitas miserabilis! Hæc considera, ô anima in hærens peccatis, & age pœnitentiam in tempore opportuno, ne Deus, iusto suo iudicio, te eodem permittat introire. Memento ergo Domine quæ sit mea substantia, memento quia terra sum, operi manuum tuarum porrigere dexteram, Consule infirmæ materiæ, succurre carnali fragilitati, infirmæ conditioni pateat regressus salutis, pateant aures tuæ misericordiæ indignis supplicationibus meis. sana Domine vulnera mea, solue priusquam moriar, meorum vincula peccatorum.

§. 52. *Et manducantibus illis accepit Iesus panem. v. 22.*

Dum adhuc accumberent mensæ quæ ad naturæ sustentationem corporalem exhibita est eis, & in ea manducantibus discipulis, accepit Iesus panem vſualem eius loci vt in eo sineret legem testamenti veteris, & nichoaret novum testamentum in sanguine suo, & sic instituit Alteram cœnam animæ spirituales dicto corpore & sanguine suo in remissionem peccatorum; vti Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

O Stupenda sapientia Dei quæ hunc subtilem & salutarem nostræ salutis modum instituit & sanciuit! O incomprehensibilis bonitas Dei quæ sublimia charitatis opera nostræ salutis causa perfecit. O salutaris esca per quam filij hominum transeunt in filios Dei per quam humanitas absorbetur, & Deus in manducante permanet: Da gratiam mihi peccatorum qui me elegisti in tuum Sacerdotem vel Commensalem ad tractanda & ministranda Sacramenta corporis & sanguinis tui, nunquam errem sine in forma siue materia, nec præparatione nec administratione, oblatione, sumptione, quo citra condemnationem particeps semper fiam sancti corporis & pretiosi sanguinis tui in remissionem peccatorum & vitam æternam.

§. 53. *Et benedicens fregit. v. 23.*

Benedixit panem vt eum sanctificaret, tantoque mysterio præpararet: & discipulos suos doceret sanctificandum esse prius per præparationem quasdam quæ Deo sunt exhibenda, ita vt omni indignitate, labe & immunditia tanto Sacramento contrarijs careant. Vnde patet quam sit impia & heretica Calviniana seu Reformata, quæ in sua formula cœnæ Germanicæ Amstelodami edita, ante sumptionem panis sui cœnatici, excommunicat & anathematizat, omnes qui aliquam creaturam benedicunt. Hi enim Christum Dominum benedicientem panem à sua cœna manifeste excludunt. O impietas! fregit porro panem ad indicandam mortem suam, qua corpus ab anima eius paulo post diuidendum erat. Pythagoras dicere solebat pe-

nem ne frangito: hoc est amicitiam ne dissoluito. Verum quia summa illa amicitia, quæ erat inter Corpus & animam Christi, dissolueri da per mortem erat, ideo panem frangere voluit. Et ut ostenderet sub vna consecrata hostiæ particula æque sumitotum Christi Corpus, atque sub hostiâ integrâ, & tantum esse sub fragmento quantum toto regitur: veteres icturi fœdus hostiâ tractabant & in duas partes dividebant, atque inter eas transibant, ut is qui fœdus violaret, non secus ac hostiâ illa mediis scinderetur.

Hæc cogita mi Christiane cum ad hoc sacramentum accedis: nonne accedis ut inime cum eo uniaris? nonne velut amicus ad amicum Deum ire profiteris? videris ergo, qui occultam in pectore geris simultatem, peccatum inquam quo velut gladio Deum perimere tentas. Sane Iudas (si ut aliqui volunt sumpsit Eucharistiam) indignæ sumpsit, ideoque non mirum si suspendio cepit medius, & in sempiternum diuitus est à Domino?

§. 54. *Et dedit eis. v. 22.*

Non solum in signum veri amoris uti hodie communicaturis datur, (quem enim amamus illum participantem facile facimus & libenter omnium quæ habemus: siquidem verus amor nunquam quiescit, laborat semper, & conatur omni modo benefacere illi quem amat, ut fiant ambo quasi unum cor & vna anima) sed etiam in signum extraditionis cum potestatis communicatione ad tractandum & pro alijs efficiendum hoc Sacramentum, uti hodie fit in ordinandis à tempore Apostolorum accepto more.

Gratias igitur tibi agimus Christe Deus noster quoniam dignatus es nos participes facere Corpori & sanguinis tui in remissionem peccatorum: imo amplius quod Sacerdotes tua vice functos instruisti proinde rogatus, ut quod quondam ex pura Virginis Matris carne assumi sisti Corpus, nos in suscipere & tractare velimus; ut mystici ipsius Corporis membris insiti, spiritus & gratiæ impleamur & regamur donis.

§. 55. *Et ait illis sumite. v. 22.*

Sæpius antea comederat bonus Iesus cum discipulis, sed nunquam tali modo, quo nunc; ait; *Sumite, aut, desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum:* nam ante hæc edebat cum ipsis agnum assatum & panem azymum figurantem: in hac autem cæna non figuram amplius sed veritatem & semetipsum dare in cibum discipulis intendebat: nempe Agnum illum, qui tolleretur peccata mundi, hunc offerri & sumi mandabat: carnem nostram & sanguinem hæcenus assumpserat, ut facilius nobiscum conuersari & nos

E

attrahere

attrahere ad se posset, nunc autem ut toti in ipsum mutaremur, voluit sese immergere intra nos uti cibus, vel potio medicinalis. Triginta & amplius annis salutis nostrae cupidus circumierat quærendo ouem quam perdiderrat, ut eam de diabolica potestate liberaret, ut primum autem diem aduenisse salutis nostrae aduertit in qua sum & desiderium suum explet posset, conlecravit panem in Corpus & vinum in sanguinem suum, deditque discipulis animando eos verbo: *sumite.*

O Benedicte Iesu quanto cum desiderio amore & gaudio desiderasti hunc diem salutis nostrae, in qua posses nobis dare tuam carnem & sanguinem, tum ad offerendum, tum ad manducandum: tanto certe magis desiderare debebant & lætari omnes quotquot oblaturi & manducaturi erant considerantes donum & cibum illum cœlestem cum omni sua virtute & potentia: Tu autem tristari potius quæras agnus ille. mactandus, & mortificandus & assandus igne variorum tormentorum, & indicibilium pœnarum, ideo sole clarius perspicio, hoc desiderium tuum magis ex amore mei profuxi te, atque adeo meam utilitatem & bonum tibi magis cordis esse, quam sit tuus dolor, & maius tibi gaudium esse ex mea salute & vita, quam ex morte tua & doloribus infinitis. sint igitur dolores tui mihi refrigerium & mors tua vita mea semper. Mira, mirares: panem vident, tangunt & odorantur & gustant & frangendo audiunt sonum panis, & tu Domine omnipotens & verax ais: *Hoc est corpus meum.* Quæto Domine (ut sic loquar in persona incredulorum) vis nos facere cæcos & fatuos, ut iudicemus quod alter videmus & sentimus?

S. 56. *Hoc est Corpus meum.* v. 23.

Respondet Christus, Nolo cæcos facere, sed videntes plus quam alii homines vident, panem videt gentilis, panem videt Iudæus, & tu Christiane vides panem. In hoc par es estis, ita sane etiam iudicato. Sed postquam ego veritas & vita dixi super pane illo. *Hoc est Corpus meum*, quod tunc non sit tibi vere & realiter & substantialiter Corpus meum nolite negare, aut enim creditis mihi dicenti: ecce, tunc est tibi Corpus meum, & estis Christiani, quoad hoc punctum; aut non creditis mihi dicenti: & ecce tunc Christiani non estis. Quia non est Christianus qui credit quod ipse vult, sed quod ego propono, siue illi aliquid verum esse videatur siue non.

Domine Iesu Christe audio verba tua super pane, & credo tibi simul & oculis meis utor. oculis &c. sensibus panis species adesse iudico, & propter verba tua substantiam panis, quæ oculis immeditate nunquam cernitur

cernitur, credo transisse, credoque in tuum corpus esse transmutatam. Hoc credo, hoc cre didit semper Christianus, semper credidit papista, malo hic esse papista, quam non esse Christianus.

§. 57. *Accepto Calice, v. 23.*

Quoniam Calice? utique illo vase, quo ad bibendum utebantur, sicuti paulo ante panem acceperat, talem, quali utebantur ad manducandum, quorum autem calix iste accipiebatur? Utique ad usum proprium ipsi, qui est bibere, quid autem eo tempore, & illa regione bibebatur? Vinum aqua mixtum, ut ratio patriæ illius, & Traditio & scriptura docent, sed vinum hoc aqua mixtum, sacrum erat, an profanum seu usuale? dico iterum, omnino usuale erat cum accipiebatur à Domino. quis enim sanctificat, nisi Dominus? Usuale ergo erat & non sanctificatum cum accipiebatur ab eo, quale erat. An autem Dominus sic acceptum sanctificauit? id sequentia declarabunt.

Ego interim Domine mi & creator, gratias ago toto corde quod nos creaturas tuas tam misericorditer tractas, ut non solum pane nos recrees, sed etiam vario condimento. potus tam corporalis quam spiritualis: id enim nos Christianos docuisti, cum ipse ut sequitur gratias egisti.

§. 58. *Gratias agens. v. 23.*

Primo pro refectioe corporali iam percepta, 2. pro spiritali iam iam percipienda in Eucharistia, 3. pro dispositione ad futura mysteria. Quæ præmanibus habebat, dignaque erant veneratione tam intersumendum quam imitandum in celebrationibus missarum, seu Liturgijs: & hoc ut discerent quidquid acciperent quidquid haberent Deo referrent semper, & ei gratias agerent maxime pro tantis beneficijs & mysterijs. An autem gratias agendo Eucharistice sanctificauerit hunc calicem, in medio relinquit D. Marcus, nam sequitur mox, dedit eis & biberunt ex eo omnes, nulla facta mentione verborum consecrationis. Quicquid autem huius sit,

Gratias & ego ago tibi Domine Deus noster redemptor animarum nostrarum, pro vniuersis donis & beneficijs tuis, maxime pro omnibus donis tuis cælestibus & terrenis, quibus nos dignatus es ad gloriam æternam promouere. Oro autem te pro inexhausta misericordia tua sana & salua benignus infirmitatem meam, laua, purga & emunda immunditiam, illumina cæcitatem meam, dita paupertatem meam, operi & tege nuditatem meam, ut te, Regem Regum, dominumque dominantium tanta cum reuerentia, contritione, & dilectione, fide & puritate, illa humilitate,

E 2

illo

illo emendationis proposito honorem semper, quo amovtus & dona me-
reatur & poseunt honorari.

§. 59. Dedit ei. v. 25.

Decorum est, ut Coniva de Principis in mensa nutu haustum acci-
pant nec ante. Id elegantia in ipsa Regis Regum maximi mensa se tuatum
video: & univcrsa etiamnum servat Ecclesia Catholica, quæ in refectione
sacra, Calicem non rapit, non poseit vti rustici Hussitæ, & Lutherani &
Calvinistæ male morati homines, sed bene morati Catholici expectant,
donec Dominus Christus Pater noster, & sponsa eius Mater nostra Eccle-
sia offerant, pessime igitur morati sunt nostri utraquittæ, qui non datum
calicem à Domino, rapiunt ipsi, & bibunt.

O Deus qui & factis & doctrinis nos erudisti mirabiliter, da mihi gra-
tiam & mores sanctos in humilitate cordis, ne te tua Ecclesia aliquo
tentem habere dignitatis vel iuris, quod tu non dederis. Non quæram
aliunde ascendere, sed per te ostium, solum intrare, apertente in h. Collo-
rio, Vicario tuo in terris, qui claudit & non est qui aperiat, illæ claudens,
Ita fiat Domine, fiat.

§. 60. Et biberunt ex eo omnes.

Quidam Catholicorum opinantur hoc loco Evangelistam nostram
licet hic dicat: *biberunt ex eo omnes*, antequam recenseret verba consecratio-
nis, nolle dicere quod ante consecrationem calicis biberint sed dicunt vo-
luisse, præveniēdo consecrationem, confirmare quod postmodum fa-
ctum est, omnes scilicet quotquot erant in mensa cum Domino bibisse post
consecrationem. (etiam Dominum Iesum Christum, etiam ipsum Iudam
proditorem) secuti Matthæus ante consecrationem calicis refert Christum
dixisse: *Bibite ex hoc omnes*. Alij vero aduersus utraquittas idem verbum
vsurpant, ostendentes probabilitur Apostolos bibisse omnes, sed non con-
secratū, quomodo omnes communicati bibunt ablutionis calicem, & sic
eludunt furibia & friuola argumenta Hæreticorum de eo quod omnes debeant
bibere. Quicquid autem horū sit, Ecclesiæ iudicio, Dominus adhortari vo-
luit omnes ut attenderent ad ea agenda quæ ipsorum muneris essent, &
quæ eis præciperentur vel bono modo permitterentur, & id ego conabor
imitari.

O Fons indeficiens, quis mihi dabit de illo calice obedientiæ tibi debi-
tæ, uti de cisterna Beiblehem, quotidie purgari, lauari & ornari. Tu
Domine qui dixisti, *cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me*
Patris,

Patris, da mihi hanc aquam, & panem obedientiæ prius bene sumere, tunc dignus efficiat sumere super caelestem.

§. 6. Et ait illis: *Hic est sanguis meus Novi testamenti qui pro multis effundetur. v. 24.*

Hoc verbum siue de calice illo ex quo biberant antea omnes & Christus iam receperat, siue de eo ex quo bibituri essent, intelligatur, certe de contento in calice intelligitur in re & o, vt philosophi loquuntur. Hic est sanguis non vitulorum aut hircorum, non alienus sed meus, non veteris sed noui testamenti: vnde Paulus ad Heb. 9. *Christus assistens Pontifex futurum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactam: id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta aeterna redemptione inuenta.* Vitulorum enim sanguis & hircorum atperus erat propitiatorius tantum, Cæremonialis, vacuus & inefficax, Christi autem hic sanguis plane delet & aufert peccata mundi: Hic sanguis non est sanguis ille re ipsa qui in veteri testamento spargebatur, sed significatione erat idem. Nam sanguis meus Novi Testamenti, reuera ad salutem populorum datur; quem sanguis Veteris Testamenti olim dandum præfigurabat. Est itaque hic exhibitum, quod olim præfiguratum est tot effusionibus, nempe vnicus matris meæ, videlicet integerrimæ Virginis filius, sanguinem meum in Cruce pro redemptione hominum fufurus, & vt eum nunc pro humani generis liberatione dabo, ita eum etiam ex nunc in altari pro hominibus offerendum ad consummationem sæculi trado; pro purgatione illorum qui eum admittere volunt & fuscipient: quoniam vt caro mea in incontaminato utero Mariæ Matris meæ orra est, & postea pro salute hominũ tradenda fuit, ita etiam & nunc caro mea in incorrupta integritate Ecclesiæ augmentata ad sanctificationem fidelium datur; quia sicut faber aurum suum per ignem modo liquefaciens vnit & modo vnitum diuidit, ita etiam & ego carnem & sanguinem meum per sanctificationem spiritus sancti in oblatione nunc glorifico, & nunc glorificatum fidelibus vobis ad salutem distribuo.

O Infinita bonitas agnosco hic & amplector, grato animo hanc infinitam charitatem tuam erga me electosque omnes seu fideles, qua parasti nobis mentam pretiosi corporis & sanguinis tui aduersus omnes qui tribulant nos; & gratias ago pro vniuersis beneficijs mihi illisque collatis ac conferendis in æternum. Agnosco & detestor ingratitude meam tantam erga te atque ex animo doleo. Tu ingrato & inutili seruo tuo, ignosce, obsecro omnia peccata mea Deus meus, spes mea, amor meus & omnia.

Quid nunc retribuam tibi pro hoc salutari viatico noui testamenti, & pro omnibus quæ retribuisti mihi me ipsum & omnia quæ de manu tua accepi. Suscipe me in sacrificium & secum perpetuum: totus tuus sum, eroque semper sicut tu totus meus esse dignaris. Tu es erisque Deus cordis mei & pars mea Iesu in æternum. Utinam omnia mea desideria, verba, opera tota vita digna fuissent, & deinceps digna forent in odorem suauitatis conspectui tuo offerri.

§. 62. Qui pro multis effundetur. v. 24.

In Veteri Testamento sanguis vitulorum typicus etiam effundebatur; nam scriptura narrante Moyses dimidia parte sanguinis victimarum perfudit altare, quasi ipsum Deum; reliqua parte asperxit populum dicens: *Hic est sanguis foederis sine testamento quod pepigit Dominus vobiscum.* Exod. 24. Ad hoc alludit Christus dicens: de sanguine suo: *Qui pro multis effundetur.* bene figuræ rem subiiciens. 2º. quia est legatum nouum & admirabile quod præbet nobis ius ad æternum hereditatem. Confirmatum est hoc testamentum, & legatum, morte Christi interueniente. Dicitur autem effundendus sanguis *pro multis*, primo pro omnibus hominibus, quia etiam omnes sunt multi, quo ad sufficientiam vt omnes eum possint sibi applicare ad salutem suam si velint: secundo non pro omnibus sed pro multis quo ad efficaciam, videlicet pro ijs qui sibi eum applicabunt, quales sunt vocati ad Ecclesiam & in eam ingressi per baptisma &c. media.

Noui & ego Domine indignum me qui particeps fiam immaculati corporis & sanguinis, pretiosi & reus sum & iudicium manduco & bibo non diiudicans Corpus & sanguinem tuum Christe Deus meus, sed tamen etiam scio quod pro me sanguis tuus sanctus effusus est. itaque in orationibus tuis victus ad te venio, qui dixisti: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo.* Miserere ergo Domine nec traducas me peccatorem, sed age mecum secundum misericordiam tuam & fiat mihi hæc sancta mysteria in medelam, in purificationem, in illustrationem, in antidotum, in salutem & sanctificationem animæ & Corporis, in actionem omnis imaginationis & actionis prauæ efficacique diabolice, quæ secundum sensum in membris meis operatur: sint in fiduciam & dilectionem quæ tendit in te, in emendationem vitæ & securitatem, in augmentum virtutis & perfectionis, in consummationem mandatorum, in spiritus sancti Communionem, in viaticum æternæ vitæ, in defensionem acceptabilem apud tremendum tribunalium, Amen.

§. 63. Amen

§. 63. Amen dico vobis quod iam non bibam de genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei. v. 25.

Ut excitaret ulterius ad audiendum se & credendum, quæ dicturus erat, præmittit hic verbum. Amen in signum certitudinis verborum suorum, quod ab illa hora qua cum discipulis suis communicavit in Corpore & sanguine suo sub speciebus panis & vini, non amplius bibiturus sit vinum de vite etiam in summis suis angustijs, sudoribus, agonijs, & morte, quod verificatum est; nam aceto potatus est in extrema agonia in Cruce, & myrrharum vinum cum dare debebant Iudæi fellis potum ei obtulerunt: post resurrectionem vero cum discipulis comedit ut clare docet scriptura, ad ostendendum, quod idem ipse esset qui passus est, at quando biberit novum vinum, vel genimen vitis, non ita clare videmus, nisi dicamus tunc eum bibisse quando Apostoli Liturgiam seu Missam faciendo biberant vice Christi, cuius vice sacrificabant, & ideo novum, hoc est novo quodam modo, ut pote alieno ore.

Domine, quam ubique temperans fuisti ad nostram doctrinam in verbis, factis, cibo, potu, ante mortem, in morte, post mortem! erubesco ante te mente reuoluens modestiam tuam, & temperiem, meam vero intemperantiam & vitia tuis virtutibus opposita; Ego cum imminet ieiunium, præmitto Bacchanalia; cum est laborandum, me præmunio largo haustu: ut autem contra renuntias genimini vitis & non vis bibere modicum instante tam graui passione. Sanctus Deus, Sanctus & fortis miserere mei.

§. 64. Et hymno dicto. v. 26.

Post salubrem cenam & multa documenta Apostolis data in fine cenæ surrexit Christus, & oravit Hymnum Trium puerorum, ut habet Ecclesiæ Catholice traditio Sacerdotalis, quæ vero Apostolis prolixè commendauerit, dixeritque, copiose S: Ioannes capite 14. 15, 16. & 17. quæ si singulatim essent enarranda, omnino magnum exigerent Tractatum, summa eorum est, ut fortes sint discipuli, & prudentes, & maxime ut inter ipsos regnet caritas, ad quæ obinenda, Deo patri eosdem commendat. Egit ista Dominus post cenam: Illud enim tempus est quo maxime lingua in omne vitiorum genus fertur, effranis ac præceps, cum animus vino incaluit, cum epulis mens grauis velut sopitus auriga demissis habenis linguam patitur exorbitare qua velit. Ad conuiuialia igitur colloquia suo sermone moderanda Christus & tam diu locutus est, & loqui Apostolos suos docuit; & in ipsis omnes eorum posteros, edocere, intendit; laudabiliter igitur

igitur ij faciunt religiosi ceterique, qui absolutis prandijs ac cœnis; debus pijs ac spiritu promouentibus ad horam colloquuntur ne somno se dedant refecti, vel inepto sermone.

Domine Deus verba vana, verba noxia, verba impia longè fac à nobis maxime cum cibo & potu reficimur aut refecti sumus, tunc enim lingua est agilis ad malum.

§. 65. Exierunt in montem Oliuarum. v. 26.

De cœnaculo prandij illo & strato, omnibus relictis in eo, non utriusdam faciunt sublecta aliqua te post valedictionem hero Domus honesta facta, è portis ciuitatis Hierusalem exierunt ad montem non supra montem sed ad decliue & vallem montis oliuarum vbi florentia prata, & rivulus Cedron perfluit, & hori amœni, vt in ijs. caperetur à ludæis secundus noster hic Adam, & dilueret pœnam, & peccata, primi Adam parentis nostri, qui & ipse in horto fuit sed valde dissimili modo se gessit. nam in eo & peccauit & captiuus factus est diabolo. Christus autem obediuit ad mortem, & libertatem omnibus comparare cepit. O egressum consideratione dignum, quo exibat Christus de cœnaculo & introiuit in hortum. Exiuit ergo quasi ad amœna paradisi, vt quia primus homo in ijs per inobedientiam omnem amiserat libertatem, ipse eam restitueret per obedientiam patri: ergo in amœnis paradisi per Adam morbum contraxit mundus, & in ijsdem salutem recuperauit per Iesum Christum Dominum nostrum vnde bene exiuit ad montem oliuarum; hoc est omnis miserationis, vt doceret passionem suam esse opus infinitæ misericordiæ, & suauitatis, quæ orbem terrarum impletet oleo lætitiæ & salutis.

Vtinam Domine Deus noster cum eximus vel domo vel ciuitate, dirigantur viæ nostræ ad custodiendas iustificationes tuas, vnde in eis verecundamur quod sapius non modo nullius momenti causa foras egressi fuimus: sed etiam cum graui animæ nostræ detrimento, quando cum fine exiimus vt pedes nostros in cœnosis peccatorum semitis inquinemus: te igitur suppliciter rogamus Domine Deus vt nos deinceps conserues ne offendamus in vijs huius vitæ innumeris plenæ periculis, ne abducamur occasione cuiuscunque rei, quam vel viderimus vel audierimus semitis mandatorum tuorum, sint egressus & regressus nostri ad tuam gloriam proximique salutem tecum conficiendam.

§. 66. Et ait Iesus omnes scandalizabimini in me in nocte ista. v. 27.

Scandalizari vero contingit, cum quis occasione aliunde accepta spiritualiter

ritualiter corruit. hoc autem dupliciter accidit, actiuo scandalo & passiuo. Actiuum scandalum præbet: seu scandalizat aliquem propriè qui facit ut ruat proximus in peccatum maximè mortale ex dicto vel facto suo malo, & hoc est propriè ei inferre nocementum ex parte animæ, pugnans contra charitatem proximi, ideo talis efficiens alterius ruinam, si facit hoc ex intentione siue aduertentia, semper peccat mortaliter, etiamsi dictum vel factum quo alius ruit non esset de genere peccati mortalis. Et sic Christus non scandalizauit vnquam vel dicto vel facto aliquem, quia omnia in charitate perfectissimè operatus est, nec inuentus est dolus in ore eius. Passiuum vero scandalum præbetis, qui nec intendit ruinam proximi sui aliquo facto, nec malum agit, unde ad ruinam proximus perueniat, operatur tamen bene, unde proximus sua propria malitia facit male, & hoc modo in Christo multi scandalizati sunt, nempe passiuè, ex eius bene actis, passione &c. quodq; se sinat ita capi, ligari, tormentari, crucifigi cum sit Deus & omnipotens quæ opinabantur discipuli non conuenire Christo, vnde paulatim cogitabant, apud semetipsos, si hic esset Christus Deus verus Messias, vti docuit, non se sineret ita ludibrio haberi ab omnibus, & capi & trudi, flagellari & coronari, ac denique crucifigi, hinc ab ipso deficiebant, eius conortium fugientes, dubitantes de eius doctrina, omnes excepta fidelissima Maria Matre eius, in quâ solâ illæsa mansit fides & fidei externa professio permanit tempore passionis Christi, in cæteris saltem externa professio ad tempus breue defecit.

Domine Deus omnipotens, neminem volens perire, obsecro te, ut ita me geram, ne vnquam sim proximo causa ruinae, sed si contingat me bene agendo esse occasionem scandali passiuè semper de eo doleam & contrister, vti tu contristari solebas.

§. 67. Quia scriptum est percutiam pastorem & dispergentur oves. v. 27.

Notandum Christum sæpe tum ad confortandum Apostolos & fidem eorum utpote Iudæorum, quibus scripturæ erant creditæ, tum ad eos excolendos ad futurum Apostolatam citasse prophetas, & eorum dicta, ut quando euenerint, eorū recordarentur, quod impleri debuerint, vnde quia vti Pastor bonus animam suam dare volebat pro ouibus suis, & quidem illa nocte initiū facere, præuenit discipulos admonendo quod ipse vti Pastor animarum nostrarum dirè percutietur, & ex hoc oves dispergerentur, Apostoli scilicet & credentes in eum: quod factum est mox in captione Christi.

Ave Iesu Pastor bone, valde à Deo, & hominibus, & diabolo, sed valde diuersos ob fines percusse. iam ostendis te esse bonum illum pastorem,

F

storem,

storem, qui animam suam dat pro ouibus suis, nam corpus paulo ante cum sanguine iam dederas in oblationem aeternam. Deus meus audiens te dicentem quod dispergentur oues, valde contremisco, ne etiam ego aliquando dispergar, vel si non ego, saltem timeo pro fratribus meis qui toto orbe terrarum in Asia, Africa, America & Europa diffusi, multa patiuntur saepe suis pastoribus & Episcopis vel percussis in ore gladij, vel captiuatis, vel relegatis, vel omnino exterminatis, quomodo in septentrione factum videmus & dolo eorum qui haereticas doctrinas inuidentes, saecularibus Magistratibus dulces illecebras bonorum Ecclesiasticorum in dotem dederunt. Auerte obsecro Domine dispersiones illas & sana contitiones Ecclesiarum tuo pretioso sanguine fundatarum.

§. 68. *Sed postquam resurrexero precedam vos in Galilaam.* v. 28.

Pius Dominus ubi desolationem exposuit, confestim consolationem adiecit, & quos mentione fugaverat, nomine collectionis futurorum animat, docendo quod pastor percussus fortius ad ouium custodiam resurget, & indefectibiliter post haec non caturus procedet. Et quidem in Galilaam, ut intelligamus ob peccatum graue Iudaeorum, & ingenitam tita passionis porro & gentibus aperiendum regnum caelorum.

O Deus benignissime miserere mei, o rex gloriae propitius esto mihi peccatori, per ingenitam bonitatem tuam ignosce mihi quod vnquam rectitudine sanctorum mandatorum tuorum auerti cor meum, sequens prauam voluntatem meam ad peccata tua pertrahentem, & abiciens deferens sanctam voluntatem tuam me ad virtutum studia inuitantem. Quomodo o Deus meus tam corde caecus esse potui ut me vel ad momentum auerterim a summo bono, unde mihi salus omnis & bona cuncta proueniunt, & ad terrorem caduca labentia me conuerterim, ex quibus non tam damna & omnis miseria ad me redit!

§. 69. *Petrus autem ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* v. 29.

Quid agis Petre? An veritati repugnas? nescis quomodo modo caena nolentem lauari correxit? non meministi, quoties alias impegisti? sed video tu praecipue exerceris inter Apostolos, quia te Dominus ad maximum munus delegit, in quo tibi opus erit ingenti rerum experientia & circumspecta, ut omnium fidelium sis vice Christi in terris pastor.

Gratias tibi ago Domine Iesu, quod cum nobis pastorem animarum tuas vias agentem dare voluisti, eum uti Moyses Iosue famulum suum praerexercitasti ad omnes casus humanos & in virtute mirabiliter solidasti.

lidasti. Libenter ego me illi, & successoribus eius Pontificibus Romanis subijcio, quia quod in primo Vicario tuo fecisti, credo in cæteris à te non prætermitti experimentum. pascant illiæ, qui sic sollicitè pascuntur à te Domine.

S. 70. *Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gal-
lus vocem bis dederit, ter me es negaturus. v. 30.*

Agnosco medicam cælestis medici manum, agnosco Magisterium, ignorantem erudit, errantem corrigit, præsumentem de se humiliat, antidota morbo apta componit. quid dicam aliud nisi illud? quam bonus Israël Deus! & sane credo quod sicuti cum S. Petro egit Dominus ita cum quolibet homine ad rationem prouecto indies agat monendo, terrendo, vocando, &c.

O Domine quid est homo quod memores eius, aut filius hominis quia reputaseum? homo vanitati similis factus est. vnde, circumvagans noctes & dies quærens donec inuenias eum & ducas in ouile tuum sanum & prudentem, donec agnoscat te pastorem verum animæ suæ: tangis montes & fumigant, fulguras, coruscas, dissipas, emittis sagittas verborum tuorum, & conturbas eos, donec liberet eos de aquis multis & de manu filiorum alienorum, quorum os loquitur vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: Venite ad pastorem vestrum oves errantes, venite peccatores. Venite vos etiam plus æquo de vobis vestrisque virtutibus sentientes, alium sapentes vestraque in fortitudine confidentes. Videte ne quando Christum ideo negetis, quia non fatis vestræ infirmitati timetis. Venite & alieno docti periculo, in Petro negante confirmamini. quid egit? quousque prolapsus est? quid eum illum huc impulit? Ter, gradu quodam, superbe præsumptus est, ter fœde de gradu labi permissus est, & primo quidem negando simpliciter, deinde cum periurio, postremo cum detestatione: atque ideo ter postea rogatus, toties se dominum amare confessus est. Venite Pelagiani qui solis naturæ viribus putatis nos sufficere ad merita regni æterni, venite semipelagiani, qui etsi gratiam necessariam agnoscitis, tamen aliqua parte euacuatis. Discite in Petro & præuenientem & comitantem & prosequentem esse necessariam, veruntamen ita, vt gratia nec cogat arbitrium vt vult Calvinianus, nec necessitet, vt vult Iansenista, nec infallibiliter gratia posita opus bonum sequatur, sed libere. sic in Schola S. Petri discentes, vos bene profecisse ostenderis. Denique erigimini pusillanimes & statuete in hac petra pedes vestros, videtis vt propterea Iosue noster Iesus Christus lapidem hunc grandem in Ecclesiæ sanctuario erexit in titulum, ne vnquam

vlla occasione Dominum abnegetis: vosmetipfos potius abnegate vt Christo digni inueniamini.

§. 71. At ille amplius loquebatur. v. 31.

Familiaie naturæ corruptæ vitium in homine, etiam hic apparet perspicue in S. Petro, non placet ei cedere, iudicium flectere, est inter eos, qui nolint ingenio cedere. & quæ obsecro causa est, cur aliqui nolint se humiliare, subijcere, cedere, tacere? quia sciunt & considerant suâ excellentiam, dignitatem, nobilitatem, doctrinam, fortitudinem: & in his se speculantur velut in regno suo: inde inflantur, irascuntur, indignantur, contemnunt alios, præsumunt de se; vt hic Petrus, qui ex hoc vase amplius loquebatur, & sicuti olim Pharaos suæ potentia innitens confidenter admodum clamabat, *Persequar & comprehendam, diuidam spolia, & implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea: sed continuo tamen huius confidentiaie vanitatem contrarius euentus probauit, quando, Flauit Spiritus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Sic contigit nostro hic Præfato, & Ecclesiæ Catholicæ Duci Petro qui loquebatur præsumptiue amplius quam decebat contra Domini mentem & verba, *Flauit enim Spiritus Ancilla ostiaria, & operuit eum mare tentationum, & submersus est quasi plumbum siue graue adiuuans casum suum in aquis vehementibus peccatorum, mendaciorum, negationum Dei viui, & iuramentorum: Melius sane fuisset tacuisse, quam male & præsumptuose locutum.* nam pœnitet locutum fuisse sæpe, tacuisse nunquam: quam postea longa pœnitentia calidissimis lacrymis ablaere fatigit Petrus.

Quid iam hinc discas, quid suges anima mea de Petra ista? sugunt ad venenum cum hæreticis qui ista audientes de eo, eundem contemnunt dicentes: clauis Regni cælorum perdidit, qui Dominum cælorum sic negauit. Ego eum non perdidisse dico, quas nondum acceperat, sed pœnitendo disposuisse, vt eas impetraret. Etiam hoc disco, donum magnum Dei esse, si Dominus dedit alicui linguam eruditam, vt sciat quando oportet loqui: quia etiam stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. & *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, ideo sancti Domini qui sciebant, quod voci hominis plerumque peccatum adiungitur, & initium erroris humani est sermo, amabant tacere: denique Dauid sanctus ait, Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Sciebat enim & legerat diuinæ esse protectionis, vt homo à lingua sua stagello absconderetur, & à conscientia sua testimonio. Verberamur enim vocis nostræ verbere cum loquimur ea, quorum sono cæditur animus noster, & mens confauciatur, ideo dixit: *Custodiam vias meas, hoc est tacito*

racito cogitationis præcepto indixi mihi, vt custodirem vias meas: alia enim tant viæ, quas debemus sequi, alia quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras ne in culpam dirigantur. potes autem custodire, si non cito loquaris, lex dicit: *Audi Israel Dominum Deum tuum*, non dicit loquere sed audi, ideo Eva lapsa est quia locuta est viro, quod non audierat à Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi. *Audi*. Si audias custodis vias tuas & si lapsus es cito corrige. *In quo enim corrigit junior viam suam, nisi in custodiendo verba Domini, Tace ergo prius & audi & non delinques in lingua tua.* Graue malum vt aliquis ore suo condemnetur. Ergo Iesu custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, solum silentium enim rationem non reddit in iudicio, nisi loqui debueris & tacueris sciens officium tuum.

§. 72. *Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. v. 31.*

Chrysostomus putat Petrum prædicta verba dixisse ambitione, arrogantia, iactantia. accusat ergo eum in hoc facto tripliciter. primo quidè quia Christo contradixit aperte & quasi arrogans, plus sibi ipsi credidit quam Magistro suo. secundo quia aliis discipulis se prætulit tanquam in amore magistri sui feruentiorem, & in fide firmiorem: iudicare autem seu æstimare se, cæteris meliorem pertinet ad arrogantiam, & similiter ad Pharisei iustitiam dicentis, *Non sum sicut ceteri hominum.* tertio autem quia torum sibi imposuit quasi nimis de se ipso confidens, Iesus si dixisset. Spero per Dei gratiam nunquam scandalizari, aut te negaturum, aut amouendum à te siue in vita siue in morte. Sane ea ratione non peccasset superbia, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ & denominatur ex hoc quod per voluntatem aliquis tendit videri id quod non est & est supra se: Alij humano affectui, & formulæ loquendi amicorum vulgari adscribunt dicta Petri. Ego Iudex in hac causa sedere nolo, cum ne quidem Sinuessanum concilium plusquam ducentorum Episcoporum in causa S. Marcellini Papæ, postquam thus Diis falsis obtulerat, iudicare voluerit, sed supremam sedem à semetipsa iudicandam dictauerit.

Reueor & honoro te S. Petre, apex Apostolorum, iudex Ecclesiæ, deosculor pedes tuos quia te Christus super cæteros dilexit, etsi ad horam lapsus es, externam confessionem Christi dimittendo, internam tamen fidem non deseruisti, sed lachrymis confestim prodidisti, locutus es verbum in excessu mentis, & caritatis, nondum à Spiritu S. confirmatus, ignosco casui tuo, vt ignoscas casibus meis, qui tenes clauis regni,

§. 73. *Similiter & omnes dicebant. v. 31.*

Dicebant omnes, sicuti Petrus, quid mirum erant homines uti Petrus, & vel sic ab ipse eo sentiebant, vel decorum putabant, si sic cum eo, qui erat Princeps eorum designatus sentirent, prius ex eo conicio, quod & ante hæc simile verbum locuti erant: Eamus & nos moriamur cum ipso, sed vana fuit præsumptio, quæ nixa non fuit, protectione diuina: quia omnes tandem relicto Christo fugerunt: contigit illis quod aliis hominibus & nobis ipsis, qui promptissime dicimus, addicimusque; sed raro quod diximus recte efficitur, cum loquimur operis difficultatem non pensamus, cum ad agendum venimus, materia tractandæ pernicitiam & rebellionem experimur. Bene, uti sacra narrat, historia Regū, Regi Syriæ Benadad multa de se iactanti & pollicenti Rex Israel dixit. Non gloriatur accinctus aequæ, ut distindas, quasi diceret, donec manus applices prælio, noli victoriam tibi polliceri, quia varius est belli euentus. Sane dum in hoc infirmo ac mortali corpore nostri erga stulo anima commoratur, semper perseverat bellum, & casus incerti nos grauant, quia ut inquit Apostolus, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: vnde minime de sua iustitia & sanctitate & fortitudine gloriari debes, sed solum Deo fidere & eius fauori & auxilio inter spem & timorem inniti.

V*Tinam sapuissent & intellexissent hæc omnia boni & fideles discipuli, præuenissent in maturitate & clamassent ad Dominum, Salua me perimus: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo arrogantia, iactantia & præsumptionis. Docemur ergo formidandum esse homini à suis met perturbacionibus, nam si postquam amorem Christi Domini nobis præ omnibus proposuerimus & vigilauerimus, ne nostræ passionis licentius exterrantur, adhuc tristitia angamur, iracundia vexemur, vana gloria efframur, amore captiuemur, tædio & mœrore conficiamur, dicamus in omni operis nostri aggressionem, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, nimirum ut tibi, ô Deus, sit Gloria, nobis autem operis boni utilitas.*

Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, video nihil solidi me agere, nisi tu Deus mihi ad sis, mecumque labores, hoc decretum meum, si quando contempseris non renouo, nunc paciscor, me ab illo nolle recedere; sed continenter tuam opem flagitare.

§. 74. *Et venit in pradium cui nomen Gethsemani. v. 32.*

Postquam Dominus scandalum discipulorum prædixerat, & eorum animosum perceperat responsum, prudenter conuertit se ad orandum pro ipsis

ipsis, vt creditur. Deum patrem ne deficient omnino in fide, spe & charitate: & locum orationis describens Euangelista nominat villam Gethsemani ad radices montis Oliueti: interpretatur autem Gethsemani, vallis pinguium siue pinguedinum, in qua erat hortus aptus orationi & recollectioni; illic ergo ingressus Christus tanquam in campum certaminis contra Sathanam, mortem, infernum, abiit in hortum vt satisfaciat pro crimine in horto commisso, vt vbi mors orta est ibi oriatur & vita; & vbi Adam primus est deuectus à diabolo ibi superetur iam diabolus ab Adam secundo.

Domine Deus, mundi Saluator, nescio quid aptius pro inchoando redemptionis negotio potuisses agere, quam inchoare ab horto & villa, pinguium valle, vt nimirum vbi ceperat iniquitas contexi, eadem inciperet dissolui; sic à cogitatione inchoatur à nobis peccatum, & in cogitatione adhibetur etiam primum remedium, vere tu es Saluator mundi, qui vulnera nostra curas ex fundamentò.

§. 75. *Et ait discipulis suis, sedete hic donec orem. v. 32.*

Indubiè locum certum in horto monstrauerit discipulis suis, cum ista dixit: Vidè autem hic anima mea & considera vultum benignum Domini, & modum eius agendi humanissimum, non soles tu sic agere magnis rebus instantibus, tunc turbaris, nescis quid dicas, aut agas: tunc familia tota, increpatur, & innocens, quæ non peccauit, luit. Dominus autem tuus ait mitissime: *sedete hic donec orem.*

O Vere Saluator non solum patièdo, sed & exemplo prælucendo, mitiga obsecro in me & omnibus qui alijs præfunt vehementiam perturbationum, vt cum suis filiis parentes, cum famulis Domini & Dominae, cum subditis suis superiores mansuerè agant, efficaciter quidem sed & rationabiliter, potenter, sed & clementer, non vt cum brutis, sed vt cum imaginis diuinæ consortibus, quia iustus etiam nouit animas iumentorum suorum.

§. 76. *Donec orem. v. 32.*

Diligenter attende, anima mea, quid agat dicatque Dominus tuus, dum te & omnes redimere aggreditur vt videas quomodo ille dissoluat colligationes iniquitatis, quas Dæmon contexit super genus humanum. Non solum dixit familiae suæ mansuetissime *sedete* sed & adiecit *donec orem*: Venit mihi in mentem, quod gentilis sapiens, suavitè alphabeti literas itato esse recitandas antequam percuteret, hoc dictum scholæ mirantur:

Definite:

Definite obsecro mirari sapientem istam, ecce alium habetis sapientiores, ille dicit in occasione passionum de oratione, & præit exemplo.

Redemptor Hominum placet mihi tuum consilium, amplector illud obsecro igitur te, vt & mihi & omnibus Christianis donec spiritum istum, vt in perturbationis initia delati, inhibeamus nos donec orauerimus dicamus sollicitantibus affectibus nostris, dicamus & alijs: Expecta me donec orem, sic certe fiet, vt multa vel omnia sanius agantur.

§. 77. Et assumit Petrum & Iacobum, & Ioannem secum. v. 33.

Solent illustres personæ, vti Reges & Principes, quando in aduersa inciderunt, suæ Maiestatis non obliuisci, nec quantavis aduersariorum instantia indecorum aliquod admittere sponte. Video illam decentiam etiam in Salvatore meo obseruari in tanta afflictione sua quantam nemo hominum habuit, decori non obliuiscitur. erat Pontifex & Episcopus animarum nostrarum, ecce clerum minorem, maioremque sibi adhibere, vti decebat, in sacro ministerio & suis locis ordinate non omittit.

OPulchra mentis in Christo serenitas! vocamus Principes Regum & Imperatorum sanguine ortos, ob hanc mentis eorum indolem serene-
nissimos (& bene facimus, communiter enim eiusmodi in eis est mens, præ cæteris plebibus) quo igitur nomine te Christe appellabimus? quam Super-
serenissimum, vti etiam diceris Rex Regum & Dominus Dominantium. Per tuam igitur illam serenitatem oro te suppliciter ut mihi & cunctis qui alijs præsumt eiusmodi serenitatem mentis largiaris, quæ ad officium ne-
cessarium ritè administrandum necessaria erit.

§. 78. Et capit pauere & tædere. v. 33.

Cæpit pauere naturali vi ob mortem acerbissimam, ignominiosissimam præforibus aduenientem, apprehendendo probra, sputa, colaphos, irrisiones, acculationes, & alapas, vincula, flagella, contumelias, & terrores super se iam iam venturos & inter hæc spineam coronam, purpureum pali-
lium, arundinem seu sceptrum illusorium, Crucem, clauos, fel, acerum, & lanceam quibus vsque ad mortem iustus pro iniustis innocenter, & crude-
liter affligendus erat, & ideo tædere cæpit secundum hominem id est de-
solari, siue esse absque solatio & recreatione aliqua in negotio tam arduo
tam duro, super martyria omnium Martyrum in se perficiendo, & quanto
magis appropinquabat passioni & circumstantijs tanto magis ac magis
pauerebat, tædebat, & tremebat, ita vt dubio procul fuerit miserabilis aspe-
ctus eius, ex angustia partium animæ & corporis, eo quod vultus palleret,
pectus

pe & tu palpiteret, langueret corpus, oculi maderent, in summa, tristitia vndique obsideret, & circumvallaret animam eius? Quid hoc mi Iesu, bone Iesu, fortis Iesu, itane Filius Dei, Deus constitutus es, vt paucas mortem & tædeat te exequi, quod tanta cum gaudio & voluntate patri obtulisti, promissisti firmiter, incepisti alacriter pro mundi redemptione, hominum salute, patris gloria? quid dicam hæc videns! si Deus pauet, si tædeat; ego homo quid agam? quid mihi spondeam in aduersis? quid in lecto doloris? quid in lecto mortis? Non miror iam aliquos homines ad denuntiationem subeundæ mortis ita conturbatos fuisse, vt mentem & rationem perdiderint. sed quid agam?

Deus meus spero quod illa tua tristitia, tuus pauor, tuum tædium sint morbi mei quos tu sanissimus suscepisti in te, vt sanares in te, vt in me oriretur sanitas, & cum tempus illud pauoris, & tædij & angustia aduenerit, spero quod misericorditer me confortabis, sicut multos martyres effecisti lætos & exultantes. Ita spero, ita oro per te & propter te, miserere mei in hora mortis meæ.

§. 79. *Et ait illis: tristis est anima mea vsque ad mortem. v. 34.*

Timent homines aperire suam miseriam: depauperatus est vir honestus, sustentat se pane tribulationis, ne emanet ad notitiam hominum infelicitas sua. peccauit homo peccatum quod admissū horret, erubescit cōfiteri. Habet morbū paulo vt sibi videtur inconvenientiorem, timet aperire & ostendere medico. sic agit omnis homo, si tamen homo sit qui sic humaniter agit. At in Christo Dño meo, & Deo meo, lōge aliter video: ille dicit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. homo meus, interrogatus qui sibi sit, responder bene & belle, cum sibi sit male, & pessime, Christus sponte fatetur miseriam suam. Homo corruptus ne quidem coactus & stimulatus.

O Deus quantum distat via tua à visis nostris, nos dolemus, & sanitatem iactamus, sentimus miseriam & simulamus abundantiam, sumus pauperes, & libenter videmur diuites; sumus insensati, & volumus prædicari inter sapientes. Perge Domine Iesu, apponere vulneribus nostris medicinam. Tu enim es os nostrum, dolet in corpore tuo pes, & os dicit, mihi maie est. Male est visceribus, os amaritudinem potionis haurit. Hoc demum est saluatorem agere, Dignus es itaque agnus, qui occisus es accipere diuinitatem, & honorem & gloriam & virtutem in sæcula.

§. 80. *suffinete hic & vigilate. v. 34.*

Quomodo quæso sustinebant, & quid? an Dominus aliquod onus à se

G

ia

in eos transtulit? Nescio quid dicam, nisi, ipsi sibi onus erant, quod iam Domino portabat, optabatq; ne se amplius grauent. est enim onus dupliciter grauens, quando & grauat pondere, & molestat inquietudine. credam igitur hoc Dominum commendasse, vt sustinerent se, nec afflicti onus auerent noua accessione. sed & magnum video discrimen inter adhortationem Domini ad minorem clerum & plebem, atque ad Prælatos, illis dicit: sedete hic donec orem: his autem sustinete & vigilate.

O Anima mea quoties audis tibi acclamantem pium Iesum, de te & salute tua sollicitum, *sedes, sustine, & vigila*, sede contenta tuo munere & vocatione; sustine tentationes varias à te ipso, à carne, mundo, diabolo, inimicis, foris & intus, & amicis quos putas secundum hominem (inimici enim sunt hominis domestici eius) & vigila ne cum te laetauerint peccatores, consentias; sed vigila tibi & accurre ad Deum tuum, vnicum asylum victoriae, & dic Iesu Christe Domine Deus noster, hostis irruit, qui nisi tu subuenias, facile nos & actu suo fallat, & viribus prosternet & saeuitia delinabit: sed si tu vel procul appareas, qui illum fregisti solo aspectu tuo, perterritum fugabis dignare nos in tutelam tuam recipere, infantes, inuidentes, imbecilles, imperitos ne nos tam truculenta bestia & immanis fera decerpatur.

§. 81. *Et cum processisset paululum procidit. v. 35.*

Solent qui pauore aliquo aguntur ad notos se recipere, ab illis agere se parari, tenaciter eis adhærere: At Christus qui humanam infirmitatem & pauorem mortis vltro assumpsit & sustinere voluit, non affigit se carissimorum suorum lateri, sed ab eis recessit, quantum est iactus lapidis, vultus docet euangelista, erat tamen hoc Christi constantiae & generositati paululum, nisi irruens in eum angor, sponte relaxatus & sauire permissus, Dominum prostrauisset.

Ecce anima, detracta est in terram gloria Dei, splendor paternae gloriae, & qui portat omnia verbo virtutis suae. certe grauis res est peccatum, quod tantam potest deicere fortitudinem in terram. Quid igitur facies? amabit adhuc iniquitatem? diliges imprudentiam? vis adhuc operam dare voluptati illicitae? vis vecorditer, quae non sunt timenda, timere? Absit Domine, Absit, vt addam onus oneri tuo, Maledictum peccatum, & voluntas proca ad malum hoc, quod Dominum in terram deiecit.

§. 82. *Procidit super terram. v. 35.*

Non ei satis est genua in terram orando flectere: sed etiam diuinam voluit faciem in terram prosternere profundissima humiliatione, quasi ob-

licus se filium Dei esse, seq; illum esse coram quo seniores viginti quattuor in facies suas cadant & adorent viventem in sæcula sæculorum: sed quia hic peccatorum omnium personam gerit, & illa expianda in se suscepit, quasi non foret dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis humeris suis incumbentis, in terram cum confusione deprimitur. aperte quoque declarat quam sit onus graue peccati cum quo ruit Lucifer è cœlo in abyssum, ita vt hoc onus cœli quasi ære fusi secundum prophetæ dictum, sustinere non potuerint: quod & nunc adeo grauat filium Dei, vt cum in terram prosterнат, tunc *supra dorsum eius fabricauerunt peccatores, & iniquitates eorum supergressa sunt caput eius*, ita vt illud incuruare cogatur, & ponere in puluere os suum, *si forte sit spes*. Christus ergo omnium peccatorum personas induens ac sustinens, fœdior hirco illo scripturæ proiectio, maledictis consputationibusque saturo tunc voluit apparere in deserto.

O Deus, ego & mei similes debemus procidere super terram, & facies nostras abscondere, & ecce nos extento collo ambulamus, nos comimus, nos peccimus, nos flectimus & nescio quæ non agimus! Ah quantum distamus à te Domine! orandum est nefas esse credimus vel genua flectere in terram, puluinos quærimus, chirothecas subijcimus, terram odimus, & cum iam tali apparatu ad genua peruenimus magna necessitate, vnum eorum nobis saluamus, alterum Domino Deo molliter mancipamus, pudet me mei, cum te Domine ita procidentem in terram contemplor, illud tamen me recreat, quod in ea sum ecclesia in qua multa millia te Domine æmulant, & in terram orando procumbunt, & ponunt in puluere os suum, ex quo agnosco in ea esse spiritum tuum.

§. 83. *Et orabat, vt si fieri posset transfret ab eo hora. v. 35.*

Quid oras, mi Iesu, vt hora hæc transeat? an ignoras ô benignissime redemptor patris tui decretum? non vt filius Dei in consilio Trinitatis altissimo fuisti vbi de passionis tua, morte & hora tractatum, conclusum & per te ex ardentissimo amoris igne erga generis humani salutem, acceptatum? Ita est, omnia sciebat Christus, sed volebat exprimere affectum humanum & naturalem, cum morte præsertim adeo atroci, repugnantem & lactantem cōtra Marcionitas & eorum asseclas, qui non verum, sed phantasticum hominem, qui instar spectri apparuerit, confinxerunt. sed & eadem opera instruxisti nos, vt discamus, qui Dei decreta occulta de nobis nescimus, quomodo nos imminente tribulatione in gerere debeamus.

Hæc considerans, bone Iesu, pudore suffundor, quod similis virtus in me nō reperitur: non attamen desinam deprecari te Deum meam,

vt quoties in similibus angustijs & periculis versari me contigerit, similiter orare concedas semper, vt si fieri posset gratia tua & voluntate: nunquam enim vellatum vnguem à tua voluntate meam separare menderit in æternum.

§. 84. Et dixit: Abba, pater. v. 36.

Sicut paruulus in angustijs positus & terrore perculsus accurrere solet ad situm patris pro securitate, & adiutorio; cum acclamando pater, pater, & sicut Elifæus à patre spirituali Elia derelictus & desolatus acclamabat pro adiutorio Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga eius. ita innocens hic Christus ab omnibus creaturis derelictus, vnicum recursum habet queri & filius prodigus omni ope destitutus, esuriens, & nudus pro tuenda vita, inuenit, nempe Patrem suum ad misericordiam mouendo: Pater, peccavi in caelis & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus fac me sicut vnus ex mercenarijs tuis in domo tua. ita plane Christus, sed meliore quam ille causa ac modo, dicens Abba, Pater, quasi diceret: Pater non vides filij tui vnigeniti pressuras arborum? non intueris desolatum vnicum tuum? non consideras circumdatum inimicis, quomodo adueniant in eius interitum? si me odisti propter peccata aliorum, quæ sumpsisti expianda in me tu saltem miserere filij tui vnigeniti loco peccatorum omnium etiam, vt ipsos decet, deprecantis: in horum periculis igitur deprecor & precor vt transeat calix iste: sed cur Magister optimus utitur peregrina lingua, & Euangelista, scribit Dominum in cultu diuino duplici lingua locutum esse, ἀββᾶ ὁ πατήρ, certe id spiritus Caluianus & Lutheranus non probat. non vult ille in sacris adhiberi linguam aliam quam vernaculam, sed, ô Deus, ne sinas ipsos circumdari sicut apes, & mortificari tot millibus impiorum aculeis.

O Pater igitur Omnipotens, pie & misericors qui nos bonitate tua, cum non essemus, ad imaginem tuam & similitudinem creasti: qui nos miseros Adæ filios per peccatum perditos & Sathanæ subditos redemisti, & inter adoptionis filios assumere dignatus es: qui nos ad hæc vere paterno affectu, alis, doces, gubernas, sustines & conseruas. Oramus te votis ardentissimis, vt nobis gratiam tuam largiri digneris, qua tuis præceptis & voluntati alacriter obtemperantes, possimus te vere patrem nostrum appellare, orare vt voluntas tua fiat &c. non solum lingua vernacula, sed & peregrina maxime sacra seu Hebræa, seu Græca, seu Latina vernaculæ nostræ interspersa in sacris cum Ecclesia Catholica colere, ad ostendendam communionem & caritatē cum omnibus populis & linguis, contra se & arios, qui se ab orbis terræ populis Schismate diuiserunt & nolunt communicare in lingua eorum nec fide.

§. 85. Omnia

§. 85. *Omnia tibi possibilia sunt.*

In celo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, in elementis & compositis ex ijs, infra & supra ea, in summa, in manu tua Domine omnes fines terra, hominum corda, cogitationes & conatus. Sed an etiam contradictoria tibi sunt possibilia? Aiunt ratione utentes unum contradictoriorum semper esse possibile Deo, non tamen utrumq; simul, sic ut simul sint veræ, quæ de eis fierent propositiones, nam duarum contradictoriarum propositionum veritas simul non est inter omnia, sed una solum, altera inter non omnia, seu non entia, quo magis admiranda est Reformatorum sapientia, quæ omnem humanam rationem pridem superavit, asserendo, quod Christi Corpus in terra sumant, & idem in terra non sit: esse veritas imagines SS. in SS. S. & de imaginibus SS. non esse mentionem in Sac. Scriptura, se esse iustos, & tamen peccatores pessimos, & his similia portenta, quæ non sunt inter omnia, sed pars una solum altera exclusa.

ERgo Omnipotens Dominator Domine Deus misericors & clemens patiens & multæ miserationis ac verax, cui omnia possibilia sunt, qui propter nimiam charitatem tuam & secundum misericordiam tuam magnam nimis, eripuisti nos de potestate tenebrarum, & saluos fecisti per luvacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudisti in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, si inveni gratiam in conspectu tuo, permitte me loqui verbum ad te, cum Abraham seruo tuo. Quare cum tibi omnia sint possibilia, cur non aufers omnium hominum iniquitatem & facis iustos? cur linis tuos & Ecclesiam tuam ita sæpe concuti, ut perituros se clament? cur mala permittis, cum possis omnia illa abolere? nescio quid dicam, nisi hoc, Dominus es, & nemo tibi dicere potestatiue potest, cur sic facis? nulli enim rationem dare teneris. 2. permissionem mali pertinere ad libertatem arbitrij, quod non coronaretur legitime, si non posset deflectere. 3. cum S. Augustino tam es bonus, Domine, ut malum nullum fieri sineres, si non de malis facere meliora intenderes. Hæc laus tibi debetur, si amplius in hac parte à me laudari vis, Domine, da mihi intellectum, & loquar.

§. 86. *Sed non, quod ego volo, sed quod tu. v. 36.*

Audi & attende ô homo, orationem filij Dei naturalis, & discite ad optime orare ex illo, cum enim nesciamus quid orare debeamus & nobis expediat, opus est & dignum, vt Deo resignemus nostras necessitates & dica-

mus semper cum Christo oraturi, *sed non quod ego volo, sed quod tu: discamus* & ex oratione fructus quibus pascamur & proficiamus, colligere: non enim tantum spatium causa & oculos detinendi in hortum descendit Christus, sed ut pascatur in hortis & lilia colligat, quorum odore recreetur, fructus igitur nobis in oratione sunt colligendi. Omnia autem poma, quae colligi in oratione possunt, noua & vetera habet hortus Gethsemani, ut facile sit tota vita eo detineri, ac pasci. Vetera, quae etiam Ethnicis nota & uisitata fuerunt, ueluti Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Iustitia, liberalitas, & si quae aliae uirtutes morales sint, naturae studio & ui acquisitae. At noua poma sunt fructus uirtutum Christianarum quas Dominus attulit, quae antea non erant in hominum uita & moribus: Eae sunt praecipue quatuor. Humilitas uoluntaria, poenitentia perfecta, resignatio in uoluntatem Dei, & mortificatio propriarum passionum. Harum uirtutum licet aliqua exempla etiam in sanctis ueteris Testamenti legantur eas, tamen Christus Dominus perfecit, ad culmen supremum educens; & in mores inducens. Colligamus igitur in hoc horto primum poma noua. *Humilitatem*, quam Dominus etiam tota uita docuit (nam & hoc magisterium singulariter est professus dicens *discite a me quia mitis sum & humilis corde*) hoc tamen loco ac tempore singulariter ostendit. Primum enim cum esset patrem oraturus, proccidit in faciem suam. Quid demissius, quid dici potest humilius cum in throno Dei esset ac sine rapina, aut usurpatione dignitatis alienae, aequalem patri posset asserere, quippe cum ipse & pater unum essent, nec possit uisum summa unitas non summa esse dignitatis aequalitas: memor tamen humanae naturae quam assumpserat, eo usque se abiecit, ut in faciem suam proccidat, uelut indignus qui caelum aspiciat. proccidit in faciem suam filius ante patrem, & filius dilectus in quo ei bene complacuit: quod neque prodigus filius ante patrem fecisse memoratur. *Quis est qui audeat erecto uultu coram Deo Patre stare, & cum Pharisaeo suam illi iustitiam ostentare, cum ipsa sanctitas, ipsa iustitia non audeat uultum Iudicis intueri.* Mirabatur Seraphim uelare alis ora, plus est Regem Angelorum toto terrae elemento sibi uultum tegere, ut sancta quadam humilitatis eclipsi ostenderet, coram Deo omnium conditore, quemcunque solem creaturae gloriae deficere. Sole igitur hoc deficiente quod sidus fulgebat? quis adeo imprudenter audat, qui coram Deo se aliquid putet, cum videat eum qui est Rex Regum & Dominus Dominantium, principium & finis, ita se prosternentem, ac si uellet in nihilum redire, quippe qui naturam suam a Deo ex nihilo habere meminisset. O terra! o tutum! cur, nescio qua opinione tui, extolleris, ut posse te credas coram Deo capite ac uultu erecto stare? deiscere miser, sternere, affige

affigete solo, & si potes in abyssam deprime: *Penitentia* fructus, & pœnalis mortificationis modo omittam, & colligam poma *Resignationis*, quæ virtus est qua Deo ita in omnibus nostram submittimus voluntatem vt simus parati id velle quod velit, id recusare quod nolit cum Dauide dicentes, *paratum cor meum*, in vtrumque scilicet vt siue quid velis mihi concedere, siue quid eripere, æque sim futurus lætus, æque pacatus, æque tutus. Hæc quoque virtus Christi propria est, qui ita in omnibus patris nutum ac voluntatem sectatus est, vt vix duodennis iam diceret Matri ac Iosepho: *Nescitis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*. Felix voluntas quæ non apud se est, sed in iis quæ sunt Dei, vbi enim voluntas est, vbi eius est amor, vbi autem melius aut amor noster esse possit, aut voluntas, quam apud Deum? Eam igitur virtutem nunquam melius, quam in hac oratione, Christus docuit. Tum enim difficilius est se Dei voluntati & arbitrio permittere, cum de ijs rebus dimittendis agatur, quas magis amamus; & suscipiendis, quæ magis formidamus. Minus certe Iob sensit pecorum, quam filiorum iacturam, & hanc minus, quam proprii corporis extremam ægri tudinem. Nam & homines hanc præ omnibus fere rebus æstimant, & sapientiores magis, quam qui stupidiore sunt genio. Intelligebat profecto Christus nihil in rebus creatis esse, quod pretio æquaret vitam diuinam: & quia eius charitas ordinata erat & ita quamque rem amabat sicuti dicebat, & iuxta boni illius magnitudinem: necessario plus amabat suam vitam, magisque iacturam eius sentiebat, quam omnes simul homines unquam rem ullam amarint, vel ullius rei amissionem doluerint, etsi omnes omnium coniungerentur affectus. Hinc de eo Propheta dicit, dedit dilectam animam suam in manibus quærentium eam. Ne putes Christum non sensisse iacturam tantæ rei, en alter eum loquentem cum patre inducit his verbis. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unquam meam*. Unicam vocat non tantam, quod alteram ipse non haberet, sed quod nulla ei similis, aut comparanda usquam esset. Rem ergo tantam, ac tam dilectam, tam unicam, vide quam libere in manus patris resignet. Quanto vero magis decet nos id dicere ac petere, fiat voluntas tua quorum voluntas a deo sordida terrenis affectibus, adeo boni melioris inficia, vt semper illud minus velimns quod cum Deus velit, constet esse optimum, vt omnes omnium nostrorum cogitationes verba & opera ad illius solius honorem laudem & gloriam dirigantur.

Domine Deus, in horto Gethsemani cæpi legere poma Vetera & Noua, & ecce calathus meus cito impletus est, & superimpletus, & fructus eius facti sunt dulces gutturi meo. Vtinam autem semper ego in horto per-

to perseverarem, nec exirem cum Adam utinam semper horum primorum custos permanerem, & custodirem istum novum paradysum: pro perditio primo. Utinam magis operer illum. quam bone mihi foret tunc ad vesperam, quando operarijs dabitur sua merces. Eia anima mea perseveremus in hac custodia,

§. 87. *Et Venit. v. 37.*

Puillum progrediente Iesu à discipulis nec una hora potuerunt vigilare eo absente nauseantes ob melancholica audita & naturalem fatigationem cerebri unde nervi sensuum toto die distenti, procedunt, qui requies egent certis temporibus, quid facit interea Dominus & magister eorum? Oravit, intentè neque tamen illorum, qui se obliuiscabantur curam deposuit, nam oratione iam semel facta, ecce venit, visit, curat. O pietas singularis Dei mei super filios Adam! non latebat eum dormire discipulos, sed inuisere voluit ut ostenderet eis se curam eorum habere tantam, ut in maximis curis suis eorum non deponeret memoriam. Bene hunc spiritum Christi penetrauit Sancta Mater Ecclesia Romana, quæ in Liturgia sua cum Deo solo loquens, & agens tamen ordinavit S. Petro docente eum, ut memoria fieret & vivorum & mortuorum, & Sacerdos se identidem ad populum convertens dicat: Dominus vobiscum: Orate, sursum corda &c.

Veni Domine etiam ad nos, & noli tardare relaxa facinora plebi tuæ, veni Domine Iesu Christe, veni & visita nos in pace, veni & eductos vincetos de carcere, de somno, de nocte, ut latemur coram te corde perterrito, veni Saluator noster, veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam & salvi erimus, veni lux mea, redemptor meus excita me ad confitendum nomini sancto tuo. Quamdiu miser iactabor in fluctibus mortalitatis, meæ clamans ad te, Domine, & non exaudis? audi clamantem Domine de hoc mari magno & adduc me ad portum felicitatis æternæ.

§. 88. *Et inuenit eos dormientes. v. 37.*

Si Dominus & Magister noster Christus hodieque aut in dies veniret corporaliter ad Orationes Christianorum, quas aut in cubiculis suis, aut in Ecclesia tractant, si ad Conciones, si ad cellas & officinas religiosorum, si ad ædes Ecclesiasticorum, si ad curias Episcoporum accederet, quantos non & quot dormientes inueniret, prælatos? quot subditos? credo pene tunc renouandam querelam veterem: Omnes declinauerunt, simul inertes facti sunt. Nos tamen tales, miramur Apostolos una hora non vigilasse cum Domino, dicimus intra nos: si fuisset in diebus illis: somnum non dedisset.

dedissem oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Ita dicimus, sed cum ad rem venit, aliter facimus. Dicimus uti dicebant discipuli ante hortum, facimus ut discipuli in horto. Hæc est summa fere vitæ plurium, pauci quos melior spiritus affluit, pauci sunt. Esto igitur vigilans, ô Christiane, ne dum torpes inertiâ, ille qui non dormit te circumueniat, & spurcitiam vitiorum in bona voluntate spargat, tenebrasque offundens rationi, animam tuam obscuret nocte peccati, quæ debet semper esse in luce Dei: dic serio cum Propheta, si dederò somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem donec inueniam locum Domino. Estote & vos vigilantes ô Ecclesiæ pastores cœlestes, vinitores, agricolæ, Dei cooperatores dum enim desides dormitis, multa mala inierit hostis, de quibus à vobis ratio exposceretur, quia illis obniti poteratis vigilantes cum Christo hîc, sicut non dormit neque dormitat qui impugnat Israel, ita nec dormiendum vobis qui custoditis Israel.

Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum: in manus tuas commendo spiritum meum redemisti me Domine Deus veritatis, locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum & numerum dierum meorum quis est ut sciam quid desit mihi: fac mecum signum in bono ut videant qui oderunt me & confundantur, quoniã tu Domine adiuuisti me & consolatus es me, perijt fuga à me & non est qui requirat animam meam, clamaui ad te Domine dixi: tu es spes mea portio mea in terra viuentium.

§. 89. Et ait Petro. v. 37.

Cur Petrum & non alios alloquitur, quia Petrum seniorẽ alijs bonum exemplum oportebat dedisse, qui cæteris fidelior esse volebat Domino, qui scandalum se non passurum publicè in mensa prædicauerat coram omnibus, qui & se & ad vitam & ad mortem paratum cum Christo obtulerat, qui Christi Vicarius futurus in Ecclesiæ regimine, fundamentum & basis, pro quo Christus orauerat, ne deficiat fides eius, cum Satan expeteret, ut cribraret sicut triticum: ô quam bene fecisset S. Petrus, si tunc cum loquebatur ei Dominus torporem excussisset, exsurrexisset à terra, exilijset ut pugil ad arma, oculos defricuisset, pericula pensasset. Certe maiores, quæ secutæ sunt tentationes declinasset, iam vero dicens, Expecta, reexpecta, modicum hic, modicum ibi, facta sunt eius posteriora prioribus peiora.

Vigilate ergo ô Christicolæ, ô fideles Christi asseclæ, & qui diligitis Dominum, & imitatores eius esse desideratis, mortificate membra vestra & passiones super terram, & scitote nisi granum frumenti mortuum fue-

H

erit,

rit, nullum fructum affert, nec crescit, moriamini igitur per vigilias, ventis
 frigora, nubes, pruinas, & niues; per pluuias & calores, per aduersa & pro-
 spera: sicut enim per gelu & niues firmiorem figit triticum radicem,
 postmodum crescat altius & fecundius: sic & vos aduersis varijs probat
 altius figite radicem & fructum ferte non deorsum, sed sursum, tanquam
 bene radicati & fundati. Crescite & fructificate in omni opere bono, late-
 agatis inter Zizania vos suffocare nitentia, inter improbos interitum ve-
 strum spirantes fructificate, non fructum carnis & peccati, sed fructus spi-
 ritus & gratiæ: fructus autem spiritus sunt, *charitas, gaudium, pax, patientia,*
benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.
 Crescite igitur in fide, crescite in spe & charitate, crescite in puritate & co-
 nstitate, crescite in patientia & mansuetudine usque ad maturam messem
 quando messores vos colligent Angeli & tanquam manipulos in caelis
 horreum transferent, vbi à pluuijs & tempestatibus, à niue & frigore serua-
 eritis & in panem preciosum mensæ Domini seruetis.

§. 90. *Simon dormis, v. 37.*

Vide quid faciat negligentia. promiserat Simoni quod vocandus esset
 Petrus, & ita sæpe vocatus fuerat, decidit ille in negligentiam, & perdidit
 pene boni nominis omen & gratiam. Iam Simon dicitur, Igitur Dominus
 & Magister noster, etiam in illa sua magna tribulatione conseruat suam
 Maiestatem, non oblitus quid ipse sit nec quid ab alijs requirat, nempe
 portebat enim Episcopum, qualis erat Petrus, irreprehensibile esse, sine
 mine, non somnolentum, lucem mundi, salem terræ, vigilias noctis cubi-
 dire super gregem. Cui enim plus committitur, iure ab eo plus exigitur.

Domine Deus noster Rex æternæ gloriæ qui dixisti *Beatus qui vigilat*
 Apoc. 16. & *qui mane vigilauerit ad me, inueniet me,* inueniet salutem.
 Quomodo ero Beatus, quomodo inueniam salutem, qui dormio in peccatis
 uere peccatorum continuè. Videor audire à te quotidie & omni quasi mo-
 mento: *Simon dormis!* non vis cui vigilare, non vis excutere veternum, non vis
 excitare te ad currendam viam mandatorum Dei & perfectionum eius.
 quia experior me ipso Simone sæpe altius dormire, & te monentem non
 sequi, merito accusor & reprehendor te vigilare, me dormire, te excitare, me
 non audire, te vocare, me non sequi: quia autem carnis meæ imbecillita-
 tem, & spiritus infirmitatem agnosco, adauge gratiam obsecro vt tecum
 ne tardio & lassitudine vigilem, vt & fructus vigiliarum percipere merear
 qui sunt te inuenire, te sequi, tibi seruire & te æternum frui.

§. 91. *Non potuisti vna hora vigilare mecum. v. 37.*

Pergit in reprehendendo Petro, qui magna promiserat, iam vel vna hora non potuerat mortificare se, & sensualitatem suam reprimere ad cohibendum somnum, & vigilare & orare secum: & notandum quod ex illo verbo vna hora, potest trahi Christum non minus quam per horam orasse patrem suum: in quo quidem facto instruit nos suo exemplo debere diu perseuerare in oratione. Verum ipse solus orat & pro omnibus, ipse solus vigilat & pro omnibus vigilat: quia iam pati incipiebat pro universis, vt & illud nunc adimpleri inciperet. *Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum.* Torcular agoniae suae solus incipit calcare, & in illo torculari laborem & agonem non possunt cum illo ferre Apostoli vel solum vigili oculo, & mente perstando in oratione. Ipse se incepit in victimam patri per obedientissimam voluntatem & resignationem perfectam offerre: Apostoli autem tantum se casuros significant per somnolentiam: quae quotiescunque valde est immoderata, uti in veteriosis, suspicionem morbi iniicere debet impendentis. Qui autem pigri sunt & modo velle videntur aggredi boni aliquid, modo mediis in conatibus deficiunt, somnū immoderatum praefereunt cui morbi deinde succedent *prov. 6. Vsq̄quo piger dormies? paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias: vel vt septuaginta Interpretes. paululum quidem dormis paululum autem sedes, parum autem dormitas paululum autem complecteris manibus pectora:* quibus verbis somni immoderationem optimè explicant. Sed subditur statim morbus qui consequitur, & *veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus:* pauperes enim erunt eiusmodi homines & bonis spiritualibus carebunt qui maximus animae morbus est, vt Augustinus attestatur.

O Bone lesu si adeo fragiles erant discipuli à te instructi & moniti, quid de me praesumam? tu scis infirmitatē meam: da vt & ego agnoscam & humiliter de viribus meis diffidens in tua firmiter confidam misericordia, occasiones male agendi deuitem & iugiter ad orationem tuo exemplo recurrā.

§. 92. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. v. 38.*

Cum hic loquatur in plurali Dominus & antea Petro in singulari, ratio videtur quia Petrum vt Apostolorum Principem & Ecclesiae caput alloquebatur, reprehendebat, & adhortabatur ad vigilias noctis super gregem sibi commisso antea, nunc autem & Pastorem & gregem, vt omnes sibi vigilent, ne per somnum circumueniantur ab inimicis siue spiritualibus siue temporalibus, capiantur & pereant. vnique enim cura debet esse propriae

H 2

1

priae salutis, pastori ouium etiam sibi commissarum ideo non solum Pastori sed & ipsis ouibus & Pastori dicit: *Vigilate & orate*: Ex quo Christi Domini praecepto sacrarum in Ecclesia Catholica vigiliarum ortus est ritus, ut nocte confurgant Christiani, uti testatur Plinius & ante lucis exortum carmina seu psalmos dicant Christo. Faciunt hoc Religiosi, & Clerici in Rom. Ecclesia, uti Plinij auro nempe Anno Domini Centesimo, nescit hunc morem Reformata Ecclesia, nesciunt Lutherani &c. Reformati nocturnas, vigiliis, ideo valde à Christi grege sunt extranei.

O Domine Iesu clare perspicio & agnosco quod te non ita absorbere potuit tua passio ut discipulorum oblivione tenereris, quin surrexeris ab alta contemplatione & discipulis aliquid commodi impartireris. Ad hunc modum Domine in dextera Dei sedens noli obliuisci miseriam ac tristitiam meam, vide quam miser & desolatus quandoque sum ac si in oblivione essem apud te, & ad orationem meam non respiceres. *Noli mihi, o misericors Domine, esse formidini*: sed sicuti in propria afflictione, morientium discipulorum recordatus es, ita iam in gloria patris ad dexteram constitutus, noli obliuisci mei, ne sine tuo solatio inueniar: nam sine tuo auxilio in tribulationibus meis perseverare nequeo. Verum enim vero inueniebas discipulos tuos dormientes & dicebas Petro: *Simon dormis, ac deinde ad alios non potuisti vna hora vigilare mecum: Vigilate & orate ut non intretis in tentationem*. O quantum opere hoc opus habeo: nam multi sunt hostes visibiles & invisibiles qui me assidue persequuntur, & contra hos omnes oratio mihi est necessaria, quia sine te nihil possum. Sed singulariter contra diaboli insidiam oratione opus habemus ne ille praevaleat adversum nos, ne in desperationem nos adigat. Sed praeter orationem, contra carnem etiam vigilare oportet, quo vires eius tempestive infringamus, ne tandem cristas erigant nobis dominerentur. Habeo ego in Ecclesia Catholica hoc certe solatium, quod fratres mei plurimi vigilant, etiam cum ego dormio, media nocte laudem dicant tibi Domine particeps etiam sum ego omnium illorum, qui timent te. Sed id non satis est, o anima mea, tuum etiam persoluto pensum. Eia igitur Domine da gnauiter semper tecum vigilem, & fer opem, ne unquam obdormiam; sed si oculi mei somnum quandoque capiant, semper tamen cor meum, mens mea & intellectus tecum vigilent. Amen.

§. 93. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. v. 38.*

Dupliciter hoc verbum intelligi potest nempe primo Christum ob spiritus promptitudinem in Apostolis & carnis infirmitatem excusare Apostolos aliquantulum de somnolentia eorum. Alio modo videntem Dominum

minum quam ipse promptus est, qui erat spiritus oris ipsorum Apostolorum, ad illos impellendos parum vel nihil proficeret, & hic semetipsum consolatum esse quas diceret sibi: Feci quod debui & quoad humanam naturam potui, spiritum egi, illi carnem: ille erat promptus, hi infirmi & hoc modo posteriore dictum, hic accipio & Dominum meum Iesum Christum humiliter adoro, ille enim est spiritus, qui viuificat, caro autem mea caro corrupta non prodest quicquam, si ab illo spiritu separetur, mortua est, cadauer est; at carnem Christi non prodesse, infirmam esse illam deificatam, blasphemiam grauissima est, illorum qui dicunt se esse Reformatores, & sunt Deformatores gratiæ Dei & Christi eius.

GRatias tibi ago Domine Iesu, qui me in Ecclesia Catholica constituisti in qua docetur, carnem nostram peccatis subditam, non prodesse quicquam esse infirmam, carnem autem suam esse viuificantem, dantem mundo vitam, excitare à mortuis &c. & esse spiritum oris nostri, quem in sacrosancta Eucharistia accipimus, & intra nos demittimus, vt verum fiat in nobis: qui manducat me & ipse viuet propter me.

§. 94. *Et iterum abiens orauit eundem sermonem dicens. v. 39.*

Quem sermonem? nisi uti antea, vt nempe fieret voluntas Patris: duo enim amores uti dictum est, in Christi corde inter se inuicem pugnabant: amor sensus naturæ, ac vitæ propriæ morti detrectans: & amor charitatis & gloriæ Dei & salutis nostræ mortē sponte & auide amplectens: & ideo alter repugnabat alteri, quia in opposita bona & incompatibilia ferebantur: omnia tamen ad doctrinam nostram, non esse malum sentire quæ sunt hominis & affectus humanos pati, pauere & cadere, mortem horrere, irasci &c. modo eos moderamur & rationi atque imprimis Dei voluntati accomodemus: ipsum etiam rogemus vt affectus nostros dirigat &c. vti hic Christus ipse, qui suam fregit voluntatem seu potius velleitatem, & appetitum sensituum, patrisque voluntati subdere trina oratione sategit, & ita vt, velut æger potionem amaram à qua natura humana, non sine reluctance sensus, ratio efficax sibi propinaret, & sumeret, quia cælestis medicus sic præceperat, & salus corporis eius, quod est Ecclesia, postulabat, & hanc ob causam vocat hic passionem suam (Calicem) quod instar amaræ potionis esset, tamen valde salutaris. Itaque si quis graue damnum patitur in bonis animæ, corporis, fortunæ & propterea tristatur & commouetur, vel quod tale perdere timeret, aut cum perdidit alte sentit, non idcirco peccat: dummodo interim adlaboret, vt passionem illam vincat, & conformet rationi ac Dei voluntati: Si quis in virtutum proposito ac progressu sentiat

reluctantem carnem & retro & alio spectantem, ne propterea turbetur, sed studeat se conformare Deo, superare passiones, aqua motum vnum naturalem habet nempe deorsum vergere & præter hunc alium calitatis impressum, qui dicitur Fluxus & Refluxus maris; item præternaturalem, quando, ne vacuum detur in antlia ascendit, & hic omnino naturali præualet: ita appetitus sensitivus in homine non solum naturali motu ferri debet, sed & calitatis impresso & præternaturali, ne ipsa aqua inanimata sit stupidior.

O Deus, non est parua res appetitum suum frænare, & ad aliter se mouendum, quam natura illi suggerit, flectere ratione, & gratia, & boni communis causa, & tamen ita sapere fieri debet, quid igitur faciam velle mihi adiacer, tua gratia, sed perficere sine tua singulari gratia non inuenio, obsecro ergo te, vt per tui appetitus naturalis victoriam, dones mihi vincendum ipsum gratiam.

§. 95. *Et reuersus denuo inuenit eos dormientes. v. 40.*

Postquam secundo orauerat, secundo etiam visitat suos discipulos, quod forte solatium ab eis iuxta humanam naturam percipere posset, in terris qui nullum à patre caelesti acceperat, quo appetitus sensitivus acquiesceret: legimus 2. Reg. 2. Dauidem pronum in terram orante summo maerore affectum. *Deprecatus est Dauid Dominum pro parvulo & ingressus hortum percussit super terram: venerunt autem seniores domus eius cogentes eum vt surgeret: in* Christus ingressus hortum procidens in terram orat, non pro filio matris scilicet Angelo, sed pro parvulo & minori nempe homine: verum seniores domus eius, non, vt ad Dauidem consolandum sui olim venerant, ita ad Christum accesserunt, quin potius ab eo separati & somno correpti non vigilant, omnes dormiunt, & Dominum regem desolatam reliquunt: dormiunt ex absorbente spiritum eorum melancholia, ex his quæ illis prædixerat ipse Christus in fine cænæ & accedente nocturno frigore, atque etiam extraordinaria tentatione, dormiunt ex circumstantia temporis, quo solent homines grauari somno potius quam in die: sed quo dolore tacitus fuerit pius Dominus, videns se quasi solum in orto, in tempesta nocte, superuenientibus hostibus, & solum se vigilem contra tot armatos, quis explicare poterit! patet quod præ maerore, & angustia humanitas loquendo non potuisset loqui, & ideo forte altera vice tacitus ad orationem redijt.

Viden? quomodo pius Iesus etiam sic grauiter afflictus non intermit-
tat reuiscere suos, vt si quid forte eis desit, siue in corpore siue in anima
eis auxilio & consilio esse possit in omni tribulatione eorum, tanquam fr-
delis

delis Dominus, Pater, Pastor, Prælati (qui enim curam non habet domesticorum, deterior est infideli,) ad nostram instructionem, ut in omni tempore, & semper sine intermissione curam habeamus de nobis commissis, ne quis pereat incuria nostra aut cadat: unde ad patrem ipse dixit *Pater quos dedisti mihi non perdidisti ex eis quemquam.* Talem sollicitudinem & curam habendo de eis: etiamsi dormierint, excitarentur, vigilarent, conuerterentur, poenitentiam agerent, saluarentur.

O Bone Iesu quoties ego dormio, dum maximè vigilare deberem, quam parum mihi intendo; quam parum apprehendo pericula in quibus versor, & tu tam paterne me sustines, & suaviter supports, & mei curam geris dum ego me ipsum negligo, excita me Domine à somno meo. Tu scis infirmitatem meam: da ut ego agnoscam, & de viribus meis diffidens, in tua firmiter confidam misericordia, occasiones male agendi deuitem & iugiter ad orationem tuo exemplo recurram.

§. 96. *Erant enim oculi eorum grauari. v. 40.*

Non est opus inquirere, quare oculi Apostolorum fuerint grauari, obuia sunt causa. Homines erant, uti nos, & ingruente tempore naturæ necessario ad quietem, naturaliter ad quietem ferebantur, & in alieno periculo, parum percellerantur, uti & nos, & suum periculum non aduertebant, uti & nos sæpe non aduertimus, & cum illis à Domino suum periculum inculcabatur, non timebant tanti esse momenti; sed sperabant transiturum, ut innumera mala, quæ timemus, præterire experimur & lætamur. Ecce causas, ob quas oculi eorum erant grauari.

Domine Deus, ego in grauedine oculorum Apostolicorum video, tantquam in speculo, me quoque esse grauatam sæpe non solum quoad oculos, sed etiam quoad cor. sæpe rideo, quando deberem flere, sæpe fleo, cum deberem esse sereno oculo, & ima summis commuto. quid hic dicam? Apostolos video nescisse quid responderent pro se, potero ne esse scientior illis? Sane potero esse post illos, doctus iam per illos, nempe, hoc dico: Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte peccati, negligentia, incuria, securitatis indiseretæ, qui die ac nocte non cessas vigilare super Israel, ne forte cum fatuis virginibus fortunæ bonæ tempus dormitando sinam præterlabi. Deus in adiutorium meum intende.

§. 97. *Et ignorabant quid responderent ei. v. 40.*

Experge facti aliquantulum & intuentes Christum Dominum, ignorabant quid responderent, tacendo, vel certe, quod semel opitis contingit,
aliena

aliena ad quæstionem & rem & personam mullirabant in somno: sic homo sopitus affectibus vel vino vel amore vix unquam sibi præsens esse potest, ob ligaturam sensuum, vel diuagationem mentis, unde ignorat stupefactus quid agere vel loqui debeat. Væ autem sic ignorantibus! quid enim his accidet aliud, quam vt & ipsi ignorentur? non quidem per ignorantiam prauæ dispositionis in intellecta, sed in affectu, quam affectatam solent appellare in scholis. Si igitur Apostoli quia aliquantulum negligentes fuerunt in obsequendo Christi mandatis, ad eius beneuolam & humanam præsentiam, ita infantes facti, vt ne verbum quidem respondere potuerint, ita vox faucibus hæserit! quid ei poterimus respondere, *quando Iudex est venturus cuncta strictè discussurus in valle Iosaphat, in extremo illo & tremendo iudicio quando Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus iudicetur, & nil multum remanebit.* Quid, inquam, peccatores tunc Respondebitis quando Iudex est venturus, non facie amica, sed in furore? quando manifestari oportet ante tribunal omnes, cunctis mortalibus adstantibus; quando *tuba mirum sparget sonum per sepul. hra regionum cogens omnes ante thronum, quando in lucerna cuiusque conscientia perscrutabitur, cogitata; gestus, actus, verba, sensusque ad trutinam examinabuntur!* Quando venerit in sede Maiestatis suæ, stipatus caterua iustorum Iudicum, in dextera habens virgum virtutis & iustitiæ in sinistra gladium flammeum furoris sui & executionis æternæ; quando sententiam Excommunicationis æternæ & damnationis irreuocabilis expectabimus, quem tunc patronum rogabo, cum vix iustus sit securus. O terra! ô Cælum! ô Deus! quid hoc rerum erit! ô strictum Examen! ô Iudicium horribile, ô sententia! infallibilis tamen & æterna, verissimum est in deliciis beati erunt æternum, & damnati in tormentis versabuntur, frendebunt, ululabunt, quia vero Deus æternitas est, siue in terminabilis duratio, inuiolabilis & finem nesciens vita; ideo nec beati gaudiorum, nec damnati suppliciorum finem inuenient.

O Si semper istud vel sæpius versarem in mente! quam lenia, imò, quam nulla viderentur, & essent quæ patimur? quam suaues Dei causa suscepti labores; quam è contra horribile peccatum, quod Deo prius, idque æternum? quo feruore, quibus studijs impenderemus momentum illud, à quo pendet æternitas. Aperi igitur, aperi mentis nostræ oculos æterne Deus, & aciem corrobora, qua immensam illam seu felicem æternitatem, & iudicium penetremus, vt momentum hoc temporis, quo tua pietate nunc fruimur, sic viuamus, ut conducat ad æternitatem omnis gloriæ & felicitatis. Amen.

§. 98. Et venit tertio. v. 41.

Quid autē tertio ad discipulos reuertens Iesus, dormientesq; reperiens primū reuersus obiurgat, secundò silet, tertio quiescere iubet. Et cur ita obsecro? varia potest dari ratio, S. Hilarius istam anagogicè profert. Primū post resurrectionem dispersos eos & diffidentes ac trepidos reprehendit; secundo, misso spiritu paraclero, gravatis ad contuendam Euangelij libertatē oculis, aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt, tertio verò idest claritatis suæ reditu securitati eos quietique restituit. Alij tropologicè, ac Allegoricè eadem exposuerunt. Voluit insuper hac sua sæpius repetita oratione exemplum proponere perseuerantiæ in orando & constantiæ firmæ, iuxta illud oportet semper orare & nunquam deficere: sedens ad mensam ora, panem accipiens danti gratias habe, cum poru corporis debilitatem sustentas, reminiscere eius, qui donum hoc dedit ad cordis lætitiā & infirmitatis humanæ consolationem; præterijt usus ciborum, memoria præbentis tibi cibos non prætereat, induens tunicam, gratias illi habe qui tibi dedit, pallium tibi obvoluis, auge in te dilectionem Dei, qui per brumam & æstatem necessaria nobis opera parat, vitamque nobis conseruat, simulque nostram obregit fœditatem. Desinit dies, gratias ei habe, quod solem nobis tribuit, operumque diurnorum ministrum, ignem quoque & lunam per noctem & multa alia vitæ necessaria abunde suppeditat. Nox vero cū aduenerit alias tibi occasiones ac materias orandi ministrabit, quando in cælum suspexeris, quando astrorum pulchritudinem, situm & motus contemplaberis visibilium Domino supplicā, Deum omnium horum conditorem, & artificem adora, qui in sapientia cuncta creauit. Quando item videris omnium animalium naturam somno occupatam, rursus eum adora, qui nos inuitos etiam per somnum à laboribus continuis liberat, & parua requie rursus ad agendi virtutem reducit. Nox igitur non sit quasi fors quædam propria & peculiaris soli somno dicata, neque committas vt per somni insensibilitatem, vitæ dimidium sit iaurile & vanum, sed noctis tempus adhibe ad orationem. Ipsi tibi somni sint pietatis meditationes, exercitationesque.

O Clementissime Pater, per amorem, & trinas supplicesque preces dilecti filij tui, ignosce erratis peccatoris famuli tui, suscipe dignissimum sacrificium unigeniti filij tui & obliuiscere iniuriam seruitui: multo enim plura ille soluit tibi quam sit debitum meum. Offero tibi etiam humillimas ignitissimasque preces eius pro omni tempore, ignauiā & negligentia mea. Offero denique tibi omnes grauissimos labores, exercitium virtutum, rigi-
dam

dam & asperam vitam & quidquid demum in humana natura operatus est & cruciatus omnes acerbissimos quos in passione sua perpessus est, vna cum omni laude spirituum supernorum & meritis sanctorum omnium in sacrificium dignum ad æternum honorem & gloriam tuam pro universis peccatis meis quibus vnquam te offendi, & virtutibus quas exercere neglexi. Tu autem pie Iesupone inter te iudiciumq; tuum & inter animam meam mortem tuam & passionem tuam, & esto mihi Iesus.

§. 99. *Et ait illis dormite iam & requiescite. v. 41.*

Quia cum necessitas postulat indulgendum est aliquid corpori, ideo Dominus, cum venisset tertio eos dormire aliquantulum iussit, *dormite iam & requiescite.* & illis dormientibus, ipse super eos vigil astabat, aspiciens cælum cum suspirijs, loco omnium qui pascunt animas. Vere tunc à loco in quo dormiebant Apostoli, melior, quam in loco, in quo dormiebat Iacob, erecta erat scala, pertingens ab ipsis usque in cælum, imo usque ad coelestis, super qua non angeli ascendebant & descendebant tantum, sed etiam gratiæ Dei.

Non est sapientia super terram, Domine, quæ comparari possit cum sapientia tua. Ecce tu assumens pastorum & Episcoporum personam, stas vigil excubitor super Apostolos tuos & mediator es inter eos & Patrem. Certe præclarum das Sacerdotibus tuis exemplum, quomodo debeant esse mediatores inter te & populum. Benedico te, tu enim laboras, & tuis das requiem ouibus; tu oras, vt illi dormiant. nescio Domine fati explicare aut ponderare suauitatem bonitatis, qua plena est domus tua.

§. 100. *Sufficit, venit hora. v. 41.*

Cum ergo aliquantulum cum eis quieuisset, vel excubias egisset Dominus, & aduentum Iudæ proditoris cum cohorte militum appropinquantis sentiret oculis corporeis, excitauit discipulos dicens; *sufficit, iam surgendum, iam vigilandum, iam standum, vt viri fortes, iam pugnam dum est milites, hora est arma capiendi. ad arma.* Ecce appropinquat qui me tradet, ecce hostis præ foribus in horro paratus in prælium, fixit pedem rupit portas, sepesque perfregit, ne non fauceat nox, videntur facies & laterne & lampades ardentes, armati viri, cataphracti à capite ad pedes, ferrei thoraces, gladij, pugiones, hastæ, bipennes, hastæ, mallei, sagitte, arcus & *hora hac mea est, qua voluntariè tradar in manus peccatorum.* Saluate amici, & valete, donec resurgam à mortuis.

Dixisti Domine, *sufficit dormiisse, docendo nos modum & rationem in omnibus rebus esse sectandam, nec semper brutos naturæ nostræ dicitur*

Quis esse sectandos, sed frano rationis & fidei compescendos. Accepto libenter, Domine, Regulam hanc tuam. iusta & sancta est. Vtinam omnes eam obseruarent, & sibi dicerent; Hora est loquendi & hora tacendi: hora psallendi, & hora à psalmis conticescendi. Omnia tempus habent. Sed inter omnes Horas mundi eximie felix fuit illa qua Dominus noster pro nobis salutem operatus est. Infelix vero illa qua homo in peccatum lapsus est vel labetur. O Domine auerte hanc horam à me & cunctis hominibus tuis.

§. 101. *Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. v. 41.*

Lucæ 18. & Marci 18. paulo ante passionem cum Christus assumptis duodecim secum discipulis dixerat: *Ecce ascendimus ierosolymam, & consumabuntur omnia que scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur & conspuetur & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget, & ipsi nihil horum intellexerunt, dicit Euangelista: quod tunc dixit futurum. hoc nunc oculis videndum demonstrat, dicens: Ecce. sicuti igitur, in ista hora verificatum fuit quod prædictum erat, de Dominica passione, ita etiam certissime verificabitur, quicquid de nostro iudicio & vel saluatione, si digni fuerimus, vel condemnatione, si indigni fuerimus est prophetatum.*

A Doro laudo & glorifico te, benedico & gratias ago tibi, Domine Iesu, pro uniuersis miserationibus & beneficijs tuis: gratias tibi ago ô fili Dei uiui, Deus altissime, qui propter nimiam charitatem, qua me dilexisti, dignatus es implere omnia, quæ de te erant prophetata. Adiuua me obsecro, ut ego in bonum & non in malum impleam quæ de me prophetata sunt. Sic uiuam, ut non moriar morte æterna, sed temporali mortuus tecum resurgam. Obsecro te ignosce, purifica & libera me à peccatis meis omnibus, per merita uitæ & passionis tuæ, recipe me in gratiam tuam qua me teneas, confirmes, dirigas atque possideas ad gloriam tuam & secundum æternum beneplacitum tuum, quo tibi coniunctus mundo totus moriar, tibi uero soli deinceps uiuam & castissimo feruentissimoque amore inseparabiliter inhæream. Amen.

§. 102. *Surgite. Eamus. v. 42.*

Non dicit: surgite & fugiamus, uti multi dixerunt, ante Iesum, & etiam post Iesum. Sed ait: surgite, eamus. quasi diceret: Surgite iam filij mei, surgite, eamus obuiam proditori & persecutoribus ut non timentes & latitantes nos inueniant, ut cognoscant passionem meam omnino voluntariam. Eamus, breuis quidem vox, sed nulla fortior ad hanc diem unquam est audita. Fortitudo enim in arduis sponte subeundis tanto maior est,

quanto & maiora instant pericula & certiora, & qui ea subit, minus praedij ad ea evadenda habet, & plus intelligit quantum in ijs sit mali. Haec omnia in Christo Domino summa erant; nam quod maius unquam dico periculum, sed exitium fuit, quam illud, in quod se Christus turn dedit: quod certius? quis minus se euasurum speravit? quis praesentiora habuit futuri mali notitiam? obuersabatur ei ante oculos ignominiae illius horror, & facies turpissima mortis infamis, cruciatuum asperitas & multitudo, haec enim omnia sciebat, antequam fierent: tota denique scena Romanae saevitiae, Iudaicae perfidiae, & quod horum omnium caput, & causa erat, ultimus inferorum furor, & rabies: haec simul omnia illi se obijebant, ad qua vitanda licet a Patre legiones Angelorum habere posset: sciebat tamen id iam constitutum esse, sibi per haec eundem esse, & haec omnia perferenda: ideo alacri animo & virili iuit obuiam hostilibus armis, ut verificaretur Isaiae praesagium; *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Domine, agnosco iam unde orta sit in carne fragili B. Stephani pro-martyris & in carne infirma B. Laurentij & c. Martyrum, Confessorum, & Virginum tuarum, illa admirabilis, illa ineffabilis fortitudo, constantia, animositas, intrepidus in periculis fluminum, latronum, terrae & maris, animus. Ex te est Domine, non ex naturae nostrae corruptae principijs, quid dicam? Deus meus gratias tibi ago quod ita post ruinam, iterum exaltaturam nostram, ut sit noua per gratiam creatura. Fac obsecro etiam me amicum, vbi decet pro tua gloria esse fortem.

§. 103. *Ecce qui me tradet prope est. v. 42.*

Ad uerbium hoc demonstrandi, vel inopinatum vel magnum quid significare videtur. Ego utroque modo simul capio: nempe quod citius quam putabatur adfuerit Iudas, cum cohorte in horto ad capiendum Iesum. & magnum sit, quod vnus est duodecim qui obstritus tot beneficiorum generibus Dominum & Magistrum cogitet circumuenire, tradere, perdere. Insolent enim valde est & magnum, quod hic apparet, nempe primus ab Ecclesia Christi Apostata, ex Apostolo, ex Sacri ordinis viro, militaris Dux, ex ductore hominum caelum versus, dux hominum in viam inferni. omnia haec mirè magna mala sunt.

Magna velut mare fuit, Domine, corruptio voluntatis, quae à te summo & aeterno bono, per praeruaricationem Adae separata abiit postea mores terrenos facta sordida & abominabilis, sicuti sunt ea quae dilexit. Sed multo maior fuit illa corruptio voluntatis Iudae, Metamorphosis est, quae in omnibus Metamorphoseon libris non reperitur, & tamen vera est, sed mala

mala metamorphosis. Vtinam non reperiat illa amplius in terris. Veruntamen si reperitur, de ista mala metamorphosi nouit bonus Deus excitare bona multa. Apostata ab Ecclesia, sunt & purgamenta, & indicia. purgamenta quidem quia Ecclesiam sua mala vita & exemplo liberant; Indicia, quia hos quibus se coniungunt, conuincunt non esse de numero discipulorum Christi, sic illi miseri sibi, nobis sunt utiles plane, ut furum suspendium utile est Reipublicæ, non ipsis suspendiarijs, terrentur alij exemplo, dum hi in Rep. viuere desinunt.

§. 104. *Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariot hies vnus de duodecim. v. 43.*

Vix pius Dominus illud *Ecce* protulerat, adest Iudas & personam omnium apostatarum ab Ecclesia Catholica & ab ordine Sacerdotali & Regulari agit, non sanctitate; sed deprauatus, auarus, odio liuidus, impius, sacrilegus: in quem finem? ut capiat, despoliet, scindat, findat, rapiat, mactet, perdat: Egregius sane Apostolus, non Christi sed diaboli! cuius viscera non confundantur, cor tremiscat, caliget visus, hebescat intellectus, aufugiat auditus, quando opponitur virtutum magnitudini, criminum magnitudo. Iesus scala virtutum, Iudas scala inferorum. Magisterium vitæ, magisterio mortis, sanctitatis forma & ipsa sanctitas, ipsi impietati, ipsa iustitia, ipsa bonitas, ipsa clementia, iniustitiæ, feritati, & atrocitati. benefactor & pater, latroni & hosti &c.

Domine Deus, nunquam credo tam infestam aciem unquam in mundo concurrisse, quã tum, quando tu sanctitas stabas ex vna parte, cum tuis discipulis, & ex altera, stabat Iudas & eius militia. nam quando diabolus contra te Iesu stabat tunc tot vitia non stabant quot modo, siquidem diabolus odium suum proferebatur, at Iudas illud specie amicitia velabat & magis nocebat. Itaque rogo te Domine ut longè facias à Catholicis tuis seruis omnem simulationem & hypocrisin, da omnibus sincerè & candidè agere, ne & se & alios fallant.

§. 105. *Et cum eo turba multa cum gladijs & lignis. v. 43.*

Describit hic Euangelista qualiter & quo animo venerit Iudas ad horum & ad Christum, ut toti mundo constare possit, eum non venisse, ut amicum, sed inimicum, non in custodiam, sed prodicionem; non in defensionem, sed læsionem: hoc enim est venire cum turba multa, cum gladijs & lignis, casu quo se defendere vellet, vel per se vel alios: audierat enim in cæna Dominum dicentem ad discipulos: *quando misi vos sine sacco & pera & calceamentis, nunquid aliquid vobis defuit?* & illos respondentes: *nihil.* & mox, *sed*

I 3

nunc

nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & per am, & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium: dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: ergo contra dictum Christi se munire volens proditor, fortiori manu sibi prouidit, & cum cohorte, & missis à pontificibus & Phariseis, ministris venit, cum igitur cohors Romana adhibito equitatu ac peditatu constaret; nempe 55. peditibus vt minimū & Equitibus 56. vel uti Variablis in 18. Joannis ait mille militibus, facile æstimare est hos omnes armatos gladijs & lignis, hoc est telis, hastis, lanceis, bipennibus, sagittis imo vectibus & arietibus fuisse instructos.

Veruntamen vane, ô filij Hominum, nam quæso vos milites, & te Capitaneæ, nunquid vos omnes desipitis, & prudentia hominum non est in vobis? quia proditori vos creditis, & quidem tam recenter fugituo, & per noctem ducendos. Si hoc est sapere, nescio quid sit desipere. Vide anima mea, quomodo passiones excæcent homines, & mature te libera à Tyrannide earum per gratiam Saluatoris tui. Tu, ô custos Hominum, obsecro præbe mihi spiritum tuum S qui vitiorum regnum in me diminuat & exterminet, ne cum his insipientibus desipiens proditores tuos sequar, quales sunt Sacerdotes à Catholica Ecclesia apostatantes, Hæreticorum duces.

§. 106. *A summis Sacerdotibus, scribis, & senioribus. v. 43.*

Pergit describere Euangelista à quibus missi veniebant milites nempe ab his à *summis Sacerdotibus*, qui oderant Christum, eo quod reformare Veteris Testamenti sacerdotium veniebat, figuram in realitatem, vitia eorum in virtutes & vitam in sanctam, immaculatam Sacerdotio dignam. *A scribis*, hoc est Legis seu Iuris Diu. & Hum. Doctoribus cum summa decentium gloria, contra quorum aliqua dogmata corrupta Christus docebat, addebatque quod non secundum suammet doctrinam, viuerent: nec seruarent, quod faciendum docerent. denique à *Senioribus* & à Magistratu Ciuili seu Senatu quem de iustitia & iudicio male administrato sapienter aguerat.

Hinc facile apparet, quam generosus fuerit animus Christi Domini, qui secundum infirmitatem naturæ humanæ Patris sui iussu tantis se vitis debuit opponere, & eorum iram, & insidias in se suscipere. Domine Deus, ego in conuiuio, in senatu, in concilio, in capitulo, in tribu, &c. congregationibus, vix audeo me opponere iniqua sentientibus, verecundor illos quales meos offendere, fere cum illis curro in malum, ex mea pusillanimitate, cum igitur tu fueris a deo magnanimus, vt te cunctis simul opponeret malis, obsecro te fac me saltem animosum pro iustitia aduersus paucos.

§. 107.

§. 107. *Dederat autem eis traditor signum dicens. v. 44.*

Sicut solet dare militibus de nocte vigilantibus, vel in excubijs ad distinctionem amici ab inimico, ne vnum pro altero caperent (erant enim tenebræ, & dicitur Iacobus filius Zebedæi non ab similibus fuisse Christo in corporis forma & statura vel quia à Romanis militibus ignotis alioqui agnitus non fuisset, dedit eis signum bonum nequiter distortum, signum dico quo pius Iesus discipulos in teneritudine amoris & osculo pacis suscipere consueverat. Ex quo patet malitia Iudæ, qui sicut primus Dux & Capitaneus diaboli, Christi sanctum institutum traxit in abusum, in quo imitantur Iudam hodieque filij perditionis, apostatæ Ecclesiæ Catholicæ, qui sancta quæ in Ecclesia videntur & didicerunt conuertunt ad suas nequitias, ad suas concupiscentias, & futores, concionandi potestatem, acceptam ad salutem animarum vertunt ad intetum earum & seductionem à Christo Domino ad se ipsos.

DEus, Deorum, Domine, ne me finas obsecro vnquam abuti sanctis tuis, quæ in Ecclesia constituisti, ritibus, Sacramentis, officijs, donis, vt fecit iste pessimus proditor Iudas; sed sicuti à tua Ecclesia didici & accipi, ita obseruem & non aliter, torquendo ad mearum passionum appetitum, alias ero proditor, vt & ille fuit.

§. 108. *Quemcumque osculatus fuero ipse est, tenete eum. v. 44.*

Salutationum formulæ antiquitus sicut & hodie variæ & multiplices semper fuerunt, Romani *Aue* dicebant, *salue* etiam ac *vale*. Hebræi *pax tibi*, *Dominus tecum*, *gaudium tibi sit semper*. Nos Germani *bonus dies*, *bonus vesper*, *bona nox*, Deus te adiuuet, fortunatus esto. Adiungebant salutationi olim non raro aliquod benevolentia signum vt osculum: sic Iacob osculatus est nepotes & amplexatus est eos. Aaron Moysen, Moyses Ietro socerum suum, Iacob Rachelem, Samuel Saulem, & tandem vt cæteros omittam Iudas Iscariotes Iesum Saluatorem, vt sub pacis symbolo filium hominis traderet. *Salutate vos inuicem*, scribebat B. Petrus, *in osculo sancto* & B. Paulus *in osculo pacis*. Apud Romanos vero in tantum mos iste exercuerat vt petmolestum, & frequentibus occurrationibus fastidiosum euaserit. vnde Tiberius lege sancita, illum morem tollendum curauit. Hinc patet quod valde, ex hoc increuit iniuria Domino, quod osculo solemnissimo signo amicitia Iudas eum traderet. De hac iniuria atroci conqueritur specialiter Dominus per Prophetam: *Homo pacis mea in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me plantationem. Quasi dicat, Homo qui verbis & factis se ha-*
bere

bere pacem mecum simulavit, dum me prodendo est oscularus, in quo sperare debui, quasi in seruo fideli, quique commensalis meus erat & familiaris, cui non solum corporalem panem, sed etiam sacramentalem communicaueram: magnificam super me fecit deceptionem, me tradendo hostibus, vt sub plantis eorum conculcarer.

O Iuda venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur, osculo, quod sacra pacis est infigne: osculo, quo amicitia fida firmatur, osculo; quo fides sancta firmatur. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem ob osculi commercium debueras venerari, & tradis filium hominis, qui te peccatore fecit Apostolum; filium hominis tradis, qui venit, vt in sanguine suo omnium peccata dilueret, sed hæc est, o Iuda, hora tua & potestas tenebrarum, veniet hora alia, ipsius scilicet Domini, quando te non osculabitur, sed in faciem loquetur: *serue nequam &c.*

§. 109. *Ipse est, tenere eum. v. 44.*

Quis ipse; nonne Pater tuus qui te ab initio creauit, qui te aluit & huc, qui te sublimauit & honore Apostolatus, Episcopatus, Sacerdotij noui Testamenti, nonne Dominus, in cuius seruitio egisti præ cæteris Apostolis, œconomum familiaris eius, tam suavis mitis & humilis corde, quo aliter non est mitior Magister, in cuius schola omnem virtutem & doctrinam veram audisti, obseruasti, didicisti; & hic an molestus tibi vnquam fuit non credo. Quomodo ergo modo dicis scurris, & militibus, *Ipse est, & tenere eum.* O Iuda, in verbo, *Ipse est*, nescio quid gustem veneni, multum dicis, cum tam parum dicis, vnde quidlibet mali à te dici, potest præsumi. nam si non mali quidlibet dicis, cur non audis quis ipse sit de quo dicis *Ipse est*, nam prætinus addens, tenere eum, manifestas te nihil boni dicere cum ais: *Ipse est.*

Domine Deus agnosco te pati, pro omni genere peccatorum, nam sunt homines qui, emphaticôs, didicerunt paucis verbis multa dicere se: sui suo malo apta quidlibet pessimum de proximo significare idonea, ita vt nihil videantur velle dicere mali sed innuere omne malum. Ecce mi Saluator horum hominum nequam peccatum modo luis, Pro qua tua pietas tibi gratias ago, & rogo vt custodias me ab hoc genere linguæ malæ, quæ seuera habet sub se venenum aspidum.

§. 110. *Et ducite eum. v. 44.*

Habet nescio quid latentis mysterij hoc verbum, quod Iudas proditor dedit comprehensoribus Christi, inquit; *Ipse est tenere eum & ducite eum.*

caute: quod verbum si spiritali sensu & bono ad nos referamus quibus incumbit Iesum quærere atque comprehendere uti Paulus ad Philip. ait: *sequor autem si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu:* & ad Corinth. *Sic currite ut comprehendatis:* profecto velut alter Caiphas prophetauit Iudas nesciens quid diceret, nempe verbum bonum, salutare præceptum, nam reuera tenendus est Christus, necesse enim est quærentibus Christum, tenere eum, & secum ducere caute, nempe vinculis ardentissimæ charitatis, sicut sponsa dicebat, *Quæsiui quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Oportet etiam postquam tenuerimus Christum caute, illum ducere, ne forte propter peccata nostra aut se abscondat aut aufugiat à nobis, & nos deserens ad alios se conferat: *tene, inquit, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Tenebo ergo te Domine donec benedixeris mihi hic & in aeternū, & introducas me in cellam vinariam & ordines in me charitatem, charitatem qua legem impleat, que omnia sufferat, male de proximo non suspicetur, charitatem fraternam quæ est vinculum perfectionis, quæ est mater virtutum omnium.

§. III. *Et cum venisset statim accedens ad eum. v. 45.*

Bene obseruat, novus noster Dux belli vel Generalis ex Apostolo creatus, Iudas stratagematum præcepta: nam vnum ex principiis bellicis est, Victoriæ sæpius in celeritate positam esse, hinc alatum, hinc gradientem, imo currentem Romani pingebunt, & non nisi post victum hostem sedentem super spolijs. Hæc considerans, possum cum Christo dicere & ingemiscere: quod filij huius sæculi prudentiores sint filijs lucis in generatione sua: nam raro videas in spiritali negotiatione ita cautos & prouidos ministros Dei, uti sunt astuti ministri diaboli. Ecce in Germania, imo Europa tota, quam vafre, quam vigilanter, quam sedulo agunt acatholici, ut subuertant ecclesiam Christi! quam oscitanter ipsi Catholici! illi ut ignis in spinis, hi paululum conferunt manus, & dicunt: modicum hic, modicum ibi.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus per Prophetam Regium inuitas nos omnes clamans: *Accedite ad me, & illuminamini, & facies vestra non confundentur:* accedite quotquot in tribulatione estis, accedite per fidem & orationem ad Deum vestrum; respicite in auxilium meum: accedite per conversionem & pœnitentiam & conuertar ad vos vultu lucidissimo & maximè vitali, quippe qui sol sum increatus & fons vitæ, illuminabo & viuificabo vos: & facies vestrae non confundentur: Et ego, Domine

K

Deus

Deus meus, humiliabo me coram facie tua, deprecans petitionem meam exaudire digneris, ne confundas faciem meam cum accessero ad te.

§. 112. Et ait, Rabbi. 45.

Vocat ipsum Rabbi siue Magister, Doctor, factorum Professor, tamen eius non vult esse discipulus, nimirum politicus factus est Apostolus, melleo hoc verbo virus clam immitteret, nec putaretur venire tanquam hostis. Sed, o politice, putas te non obseruari ab omnia vidente oculo? putas dormire illum qui scrutabatur renes olim & corda? Noli hoc putare, nimis crasse agis personam politici, agis tamen ut putes, sed breui de se proturbaberis.

Domine Deus & Magister meus, video hic clare quod scholam discipulorum tuarum reliquerit Iudas, & apostatarit à te, en ego desidero & adire scholam tuam, capio esse discipulus tuus, audire sapientiam tuam, locus vacat ergo assume me obsecro, ad te, ad disciplinam tuam, ad scholam tuam, ut erudiar à te, beatus enim quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; non dignitatis eius gradum peto, indignum enim eo me profiteri, scio etiam eum S. Matthiae iam esse à S. Petro tuo Vicario donatum cui melius deum congratulor: affecto autem & vnicè postulo pro modo gradum humilitatis, quae docetur in schola tua Infima, ut secure laqueis fruatur cetera dona.

§. 113. Et osculatus est eum v. 45.

Nempe palam pacem cum Magistro loquens, & occultè ponens insidias, huius fictionis figura legitur in libris Machabaeorum, ubi Tryphon Princeps loquebatur cum Iuda Machabeo verbis pacificis in dolo & comprehendit eum: *Va illis qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt.* An non Iudas in viam Cain abierat tradens & fundens sanguinem non solum fratris sui innocenti sed & Dominum non errore Balaam mercede effusus est, pro mercede triginta genteorum non tantum maledicens sed & malefaciens Christo? an non in contradictione Chore perijt, in contradictione scilicet apud Capharnaum, dicentium *durus est hic sermo &c.* quorum focus fuit Iudas, Pater Sacramentarium. Attendamus ne & nos simus de eius sectatoribus, de illis qui osculo filium hominis tradunt: tales autem sunt, non solum qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, qualium magnus est in orbe numerus. Sed etiam tales sunt non solum qui indigne ad Sacramentum Communionis accedunt, non praemissa debita scelerum agnitione & cor-
sellus

feffione. Hi enim quasi osculum præbent filio Dei, & eum peccatis suis iterum crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero Sacerdotes, & quam multi fideles qui magna parte vitæ vix semel digne accedunt, eandem quam Iudas intulit, iniuriam renouantes. O quoties Domine à mille sexcentis annis hanc patienter iniuriam tulisti, poteras vel Helia ignem vel Ananiaz subitam mortem, vel Elymaz cæcitatem eis infligere ad ultionem, sed maioris charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad conuersionem, si attendere vellent. Hæc est benignitas tua quam etiam testatus es erga Iudam: sed quoniam non recusasti proditorium & fallax osculum faciei tuæ, quanto magis confidimus te non repudiaturum miserorum peccatorum resipiscenciam, confessionem & penitentiam.

Domine, ipse Baptista sibi indignus visus est, qui vel corrigiam calceamenti tui solueret; Sanctis Regibus satis fuit, pedes vix nati pueruli lambendo osculari, Magdalena retro stanti iucundum erat plantas tuas tergere, quomodo igitur iste proditor contemptis pedibus mox os augusti illud ac sacrum profano suo ore irruit? Impudens igitur fuit valde iste Iudas, qui sic se cum Domino gessit, abige obsecro Deus inuerecundiam, & impudentiam longe à me & tuis fidelibus.

§. 114. *At illi manus iniecerunt in Iesum. v. 46.*

Viso simbolo seu signo à Iuda proditore edito, milites instar apum & caurorum pinguium accurrunt, irraunt, pungunt, rapiunt, trahunt, trudent, gladios vibrant, nemo non vir videri intendit, incitatus gloriola, & spe gratiæ ineundæ cum Principibus, à quibus missi erant.

O Bone Iesu, quam longè à te est, vt vel fur vel latro esse possis? qui cuncta bona largiris supplicibus tuis, & tamen modo ita tractaris ac si eiusmodi esses nefarius homo. Itaque animaduerto quod alienam culpam tuas, non tuam, vel certe hi tui inuales sunt ipsi fures & latrones, sine causa te vellentes & capientes, per hanc igitur manuum iniquarum iniectio- nem in te, obsecro salua me, & ignosce quod moraliter manus violentas aliquando etiam inieci in te, tuam voluntatem offendendo, vel etiam sacrosanctum corpus tuum in Sacramento indigne tangendo, & da gratiam ne vnquam ullo modo malo iniiciam cum his latronibus in te, manus.

§. 115. *Et tenuerunt eum. v. 46.*

Captivum, ligatum funibus & catenis onustum, verberibus, plagis, pugnis, fustibus, liuidum, iniurijs, contumelijs varijs & multis faturatum tracturi ad Iudicium, tenent lupi agnum, sistendum mox ante leones, canes &

K 2

nes &

nes & lycanthropos. Quid vero tunc animi fuisse putabimus Christo vel homo se gerenti? nescio edicere, cogito multa etiam hoc quod cum toc fieri modi tenendi te, isti omnium pessimum elegerint.

MI Iesu, cupio te tenere, & perpetuo quidem, sed amore captivum non ad malum tibi inferendum, contumelias, iniurias, mortem, sed honorem, & gloriam & vitam, quouis modo, quavis virtute, & gratia; teneam igitur te nec dimittar à te; teneam te sic, vt nunquam abeas à me per amissionem gratiæ tuæ, vel si non tenuero ego te, ecce oro tenero me, cupio tuus esse captivus perpetuus; quia bonum est mihi semper tecum esse.

§. 116. Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit. v. 47.

Euangelista hic describit quid contigerit in comprehendo & tenendo Christo, in illa furia militari, & insinuat fuisse aliquam resistantiam, non per Christum ipsum sed per *vnun quendam*, quem ob causas certas noluit nominare. credo, ne læderet honorem eius, eo quod educens gladium percussit: nam mens Christi non erat neque mandatum, vt educeretur gladius, contra aduenientes hostes. & eum captiuantes, multo minus vt quis percuteretur gladio: cum maxime ipse sponte obuiam iuerit hosti, & vltro se tradiderit in manus peccatorum, pro salute mundi; & ipse percutiens iam esset Ecclesiasticus & Sacerdos creatus. ideoque nota aliqua videbatur, quam vocant defectum lenitatis. Sed & præsumptuosum erat quod Sacerdos & talis & solus quidem contra tot armatos, & sine Domini mandato percuteret. Hinc discimus nunquam nisi bonum de proximo vel scribendum vel dicendum: etsi narrare historiam contigerit, in qua vix omnia possit malum factum, id narretur sine nominis mentione, maxime si sit persona Ecclesiastica, in dignitate constituta, ne inferioribus detur turpis occasio, & ansa vel detractionis vel malæ opinionis.

Domine, considerans tantam cautelam in tuo S. Euangelista, expauesco super mundi cursu, & hominum loquendi more. Vix incipimus loqui & statim aliquis de proximis, vel multi simul eribrantur. Iam Magistratus, iam principes, iam clerus, iam religiosi; modo iste, modo ille sunt tales & tales sunt. Hi sunt avari, isti sunt sordidi, isti arrogantes, isti voluptuarij. Summa omnes excepto vno eo qui loquitur sunt peccatores, iste bonus, iste sanctus est, iste prudens est, scilicet Deus meus: quale est hoc linguarum diluuium! contra hoc vix Arca aliqua Noëtica datur ad effugium.

§. 117. Percussit seruum Summi Sacerdotis. v. 47.

Continuat historiam & narrat Euangelista, quid ex strictione gladij, secutum sit & quid fecerit ille innominatus Christi amicus, nempe percussit seruum Summi Pontificis. Lucas dicit discipulos prius interrogasse num percutere deberent gladio, videntes impetum & turmatim irruere in hostem? verum innominatus hic amicus, scilicet Petrus, zelo iusto accensus pro sui vel Domini defensione & salutatione, non expectato Domini responso percussit, & quidem seruum Summi Sacerdotis, qui haud dubie ceteris petulantius & truculentius egetis. nec sine mysterio Petrus incidit in seruum Summi Pontificis, Deo omnia, dum permittit mala, dirigente hæc ipsa in magnum bonum, quia enim S. Petrus futurus erat Pontifex, & vocandus pro Caiphas Cephias, ideo hene in male moratam familiam Summi Sacerdotis futurus Pontifex animaduertit, & eandem reformare incepit, vti Christus ipsemet reformaturus erat Iudaicum Pontificem. Ecce quomodo quæ secundum homines casu geruntur, apud Deum consilio non careant. Admirare, anima mea diuinam sapientiam & pietatem.

O Deus, scio quod in honore habendi sint Principes & eorum ministri, & maxime Sacerdotes tui, & eorum quoque ministri, scio etiam quod ministri eorundem subinde abutantur suorum Dominorum nomine & autoritate, ne igitur unquam aliquid eis incommodi accidat, neque Principes in eis lædantur, obsecro Domine, da eis spiritum sanctum, ne quicquam agant, quod non sit iustum, prudens & benignum.

§. 118. Et amputauit illi auriculam. v. 47.

Effectus extracti gladij & percussione fuit, auriculæ solius abscissio, pro capitis torius amputatione vel diffissione; quod factum est ex dispositione diuina: nam merito Pontifex Ecclesiæ Petrus abscidit aurem, obedientiæ Symbolum à Iudaico ministro; qui aures habens, quibus audire debebat, pro auribus incepit vti manibus. Otiosam igitur partem Petrus abscidit, dum aurem amputauit. ad aurem enim pertinet obedientia, sicut Plal. ait: *In auditu auris obediuit mihi*: Agnosco nihilominus præposterum in Petro agendi modum, qui nuper vigilare iussus, dormiebat, nunc iniussus vigilanter cædit. Ita fit, pro dolor, nitimur in veritum semper cupimusque negata.

Deus meus, sapientia tua reguntur vniuersa, quicquid tandem patiuntur mali peccatores inuiti, apud te Deus, habet luculentissimam causam, & quicquid boni agunt tui amici & iusti, apud te Deus habet fontem, neque tam inopinatos efficiunt casus Homines, per quos tua diuina prouidentia

non peruat ad destinatum sibi vltimatum finem. O Deus in velamentis harum alarum protege me, cum S. Petro Apostolo tuo, quem non permiffi ferire caput sed latus, mysterio tam salutari nobis, fortunare tibi, apud ministros.

§. 119. Et respondens Iesus ait illis. v. 48.

Euangelista præteriens quid Petro Christus dixerit, aut reprehendendo, sistendo, aut laudando eius factum, refert quod allocutus fuerit turbas, dissimulando Petri negotium, rationibus non malis nixum. nempe factum partim ad propriæ vitæ partim ad Christi Domini sui defensionem etiam si Sacerdos & Ecclesiæ caput esset futurus, vnde non male discas, quod laudare vel vituperare bono modo non poteris, tacitus transire vel tuorum superiorum negotia in discussionis examen non facile præcipitare, in his enim nos inferiores, subditosque mutos potius esse oportet, quam Dominus ipse Petri factum iniudicatum dimittit. Vtinam nos viles & imprudentes, de Prælatorum actis & negotijs vel tantillam haberemus opinionem, quantam Dominus de Petri facto, & sic maiorum res dimittimus, vti Christus Petri causam dimisit, sæpe quieti essemus, sæpe prudentes videremur, animam non læderemus. Est enim magnum & negotiosum silentium, vti erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo, nec vllum maius iudicium suæ castitatis inuenit, quam silentium. Conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur; nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ habebat Domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quem sciebat nullo modo posse falli. Ipse Dominus in Euangelo tacens operabatur salutem hominum. Recte ergo David non silentium sibi indixit perpetuum sed custodiam. Custodiamus ergo cor nostrum, custodiamus & os nostrum: vtrumque enim scriptum est, *hic vt os custodiamus*, alibi *vt seruemus cor*. Hæc si custodiebat David, tu non custodies? si immunda labia habebat Itaias, qui dixit, immunda labia se habere, si, inquam, Propheta Domini immunda habet labia, quomodo nos munda habemus? & cui, nisi vnicuique nostrum scriptum est, *sepi possessionem tuam spinis, & aurum & argentum tuum alliga, & ori tuo fac ostium & vectem; & verbis tuis iugum & stateram*: possessio tua mens tua est, argentum tuum eloquium tuum est. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum: bona etiam possessio mens bona, denique possessio pretiosa homo mundus. sepi ergo hanc possessionem & circumvallato cogitationibus, munito pijs cogitationibus, munito, pijs sollicitudinibus ne in eam irruant, & captiuam ducant irrationabiles corporis passiones,

nes, ne incurfent motus graues, ne diripiant vindemiani eius tranfeuntes viam, custodi interiore[m] hominem tuum. Noli eum quali vilem negligere ac fallidire, quia pretiola possessio est. Et merito pretiosa, cuius fructus non cadueat & temporalis, sed stabilis atque æternæ salutis est. Cole ergo possessionem tuam vt sint tibi agri, alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciuiat & multiloquio peccata sibi colligat, sit strictior & ripis suis coëctetur, cito lutum colligit amnis exundans, alliga sensum tuum, non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te. Non est malagma apponere, neque oleum, neque alligaturam. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur & gubernatur. Sit ori tuo ostium, & claudatur vbi oportet, & obferatur diligenti[us], ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumelia. Ingu[m] sit verbis tuis & statera hoc est humilitas atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit: restringantur habenæ vinculis, franos habeat sensus, quibus reuocari possit, ad mensuram sermones proferat, libra examinatos iustitiæ: vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus atque in verbis modus.

9. 120. *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fustibus comprehenderis. v. 48.*

En causa, quare Petrus gladium extraxerit, & percusserit, hanc Christus allegat, quasi diceret: extraxit ille gladium & percussit, se & me defendendo iniuriam propulsando, vitam conseruando, quia vos cum gladijs & fustibus venistis prius, irruentes in nos sicut leo rugiens & rapiens, quo casu vim vi repellere licet. Et quare, rogo, me queritis tanquam latronem cum gladijs & fustibus: quem nunquam vidistis gladio vti, sed sermone gladio ancipiti fortiore; flagellis pro decoro templi seruando, & honore patris mei, eo quod templum Dei esset domus orationis, non vendentium & eumentium, non spelunca latronum: displicet etiam proditoris vsus, nec me authore quiscquam, ne hostes quidem, sibi prodi optauit.

O Deus, quam tu tibi præfens es in tanta perturbatione, nos in verbo, facto, nutu leuissimo ita turbamur, vt præ ira, præ metu & tremore, præ passionibus non simus apud nos. Tu sapientiam loqueris sedatam inter arma, nos fatuitatem, & quorum nos mox pudere debeat, sana nos Domine, sana nos tua excellenti virtute magnanimitatis & constantiæ. Eia Domine imprime hæc ita cordi meo, vt quotidie in omni aduersitate mea horum recorder, cogitans me hæc omnia promeruisse, cum tamen nihil simile mihi inferatur. Sit igitur hæc tua miseria mihi doctrina, qua humilitatem
mibi

mihî familiarem faciam ad abnegandum meipsum in omnibus quo me dignum iniuria æstimem, & plagis vndeunque etiam mihî adueniant.

§. 121. *Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. v. 49.*

Quid agitis ô milites, ô Iudæorum Principes, ô ministri seniorum, cur huc properatis armati, vt Iesum capiatis, cureum de nocte queritis? cur non de die, cur non in templo docentem, hoc ipso elapso die, apud vos concionantem? ante quinque dies triumphantem! quando gratulabundi de eius aduentu acclamastis *Osanna benedictus qui venit in nomine Domini!* Vtique dicetis mihî: Quia opportunum tempus non erat, quia traditionis promissio facta non fuerat per Iudam, nec congregatio seniorum habita, sed quæ causâ quod tanquam ad latronem existis comprehendere Iesum? Credo, quia docuit palam contra Magistros Synagogæ, Scribas, Seniores, Principes populi, conscientiam commouit eorum & tetigit peccata monstrauit, vnde ira perciti consilium inerunt, vt ipsum dolo caperent & morti traderent, tanquam legi contradicentem, qui contradicit vestris vitijs. Ergone istud quod retribuitis pro doctrina vobis impensâ pro tot beneficijs in vos profectis? nunquid redditur pro bono malum? nunquid ægros vestros sanitati restituit, cæcos illuminauit? claudis gremium reddidit? mortuos suscitauit! & quid ultra potuit facere & non fecit pro vobis. Silebo hic, quod Deus sit, & Messias vester, & quis tot tanta beneficia præstitit patribus vestris in Ægypto? quis in deserto? quis populo sitiens aquam dedit de petra? quis manna de cælo? quis carnem pluit ad vescendum? quis ita secure vos eduxit ex Ægypto per mare rubrum, in terram Chanaan, fluentem lac & mel, quis patribus vestris tot tamq; admirabilia dedit triumphos & victorias in hostes, bona eorum & terras? quis legens? Nonne ipse & non alius! ô ingratitude!

Ingrati Iudæi! quam turpiter, quam misere dominum gloriæ & prophetam suum canes spurcissimi hic tractatis, ipse quidem vt agnus mansuetissimus lenibus vos verbis blandè conpellat dicens: Tanquam ad latronem existis comprehendere me, quotidie eram apud vos in templo docens & non tenuistis me. Cur igitur hâc hora? hac nocte? nisi quia *hec est virtus vestra & potestas tenebrarum.* O obcæcati & impij, quid opus erat vt tam frequenti numero veniretis capere, vltro se manibus vestris, vt ouem, offerentem? quid necesse erat cum lateris inquirere & facibus, obuiam vobis procedentem & vos alloquentem? aut cur noctu queritis quotidie apud vos versantem in templo, reuera filij tenebrarum estis vos omnes, qui odio

habent

habent lucem, ideo eam extinguere cupiunt, ut in tenebris permaneant, ne mala ipsorum opera manifestentur, sed frustra laborant, ut enim scriptura ait: *Non extinguetur in nocte lucerna eius, sed clarius fulgebit, supraque candelabrum Crucis leuabitur, ut luceat omnibus qui in sanctæ Ecclesiæ domo sunt.* Quandoquidem ergo Christus amore nostri volens lubensque se capiendum Iudæis tradidit, decet ut & nos vicissim amore illius captiuemus omnes sensus nostros in illius obsequium, oculos non aspectando illicita, aures noxia non audiendo, linguam, neque de rebus otiosis, neque de aliorum fama sinistre loquendo, manus abstinendo ab actionibus malis, cor non admittendo noxias cupiditates, mentem denique cauendo noxias cogitationes.

§. 121. *Sed ut impleantur scriptura. v. 49.*

Patriarcharum & Prophetarum, quæ de Christo testimonium perhibent, existis nimirum comprehendere eum, quia ita placitum est coram patre, & ipse voluit: *Oblatus est, quia ipse voluit. Isa. 53. tanquam ovis ad victimam ductus est: attritus est propter scelera nostra. Psal. 21. Circumdederunt me viculi multi & tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: & alia eiuimodi plura, quæ inueniuntur in Sacra Scriptura, de Christo impleri debebant, & concludit hanc tragædiam Euangelista excusando per impletionem scripturarum quodammodo Iudæos, quare venerint ad eum captiuandum cum gladijs & lignis. ita enim suos scriptores erudiuit idem mitissimus Dominus ne acerba scriberent, sed suo exemplo mansueto stilo, & quando nec opus Iudæorum nec intentionem poterant excusare, excusarent aliunde, nempe per prætextum implendi scripturas.*

Protektor in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, neque sanctum, sine cuius voluntate nihil esse, fieri aut cogitari potest in terra deorum neque in cælo sursum, qui cuncta disponis in ordine, pondere & mensura, ubique præsens, omnia implens, quam suavis est spiritus tuus clemens, mitis, benignus, non acerbus. Nemo hominum talem & tam ingeniosam excusationem male agentium unquam excogitauit, quam tuus spiritus. Benedictus sis igitur in cælo, & in terra. Dignus es Agnus, qui occisus es, accipere honorem & gloriam in sæcula sæculorum. Amen.

§. 122. *Tum: discipuli eius eum relinquentes omnes fugerunt. v. 50.*

Quando scilicet viderunt Christum captivum, ligatum manibus & collo, & nullam si speresse spem liberationis, anxij ne ipsi quoque captiuarentur cum Domino ligarentur, fugerunt: & sic impletam quod prædixe-

L

IKAG

rat in cæna Dominus eis non credentibus. *Omnes vos scandalum patimini in me ista nocte: scriptum est enim percutiam pastorem & dispergentur oves.* Ecce quomodo perterritæ oves discurrunt: errabundæ quisque huc illucque vel ad propria festinet, vel ad amicum, vel notum, ut saluetur.

Domine ut video Prologus huius omnibus sæculis memorandæ Actionis ac Tragico-comœdiæ iam finitus est, iam Actus, & Scenæ diuersæ inchoantur, quorum Theatrum est Ierusalem, Actores sunt Dæmones & ministri eorum, patiens vero tu es Domine Deus meus, nisi malis, ut dicam te esse præcipuum Actorem, nam etsi patiebaris, tamē multo plus omnibus agebas, nihil enim illi sine te egissent, Sed & oro te Domine ne sim talis inimicus tibi, sed vsque ad aras tecum maneam constans, fidelis, prudens & bonus; nunquam à te vel tuis præceptis vel iuramento vnguem discedam, nunquam in minimo fidens aut viribus proprijs: serò enim, heu, nimium scio, quoties ceciderim, per propriam confidentiam nunc agnoscens imbecillitatem virium mearum ad te refugio, ò spei unica causæ & fortitudo certa, da mihi robur, fer auxilium & consilium in omni tribulatione & angustia meâ.

S. 123. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amicus sindone super nudo. v. 51.*

Hic Euangelista narrat vel curiositatem vel constantiam adolescentis cuiusdam qui discipulis capto Christo fugientibus ipse aliquantulum secutus sit. Qui si ex discipulis fuerit & ideo spoliatur ad indusium interius certe præclaræ indolis fuit, utpote passus aliquid pro Christo, donec autem quadam & astutia è manibus hostium se liberarit, & ipse nudus effugerit. Quis autem adolescens hic fuerit, varia est opinio scriptorum & medicorum, alij enim Ioannem Euangelistam, alij dicunt Iacobum fuisse minorem, alij adolescentem qui secutus fuerat Dominam de hospicio ubi celebrauerat Dominus cænam cum discipulis ex Ioannis Marci domo: alij etiam villa Gethsemani, qui audito de prope armorum strepitu, consurgens è lecto spectatum euolauit sindone coopertus: opinare rego cum S. Gregorio fuisse sanctum Ioannem Euangelistam, quia charitas ardentior in eo erat & iuuenis erat, & aliquo modo ex verbis Euangelistæ notari potest, cum dicat: omnes fugerunt; iste non ita cito fugit, sed in specie compulsum. Quicquid autem sit, certe apparet furor & rabies huius turbæ capientis Christum.

Domine, adolescens illè tecum aliquo vsque mansit, quia te plus ceteris amauit: ita vice versa eum amasti, quia pius, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit & quietus, utinam & ego talis sim adolescens in vita meâ Deus, ut illi

vt te plus cæteris hominibus per gratiam tuam amem, colam, sequar in innocentia cordis & corporis, amore tui flagrans: & si fors per fragilitatem vel violentiam aliquam contigerit me à te separari; non differatur separatio in longitudinem dierum; sed statim cum Ioanne ad te redeam, tecum viuam constans, in tua felicitate felix, in tua tribulatione tribulatus, in passione tecum patiens, in angustijs tolerans, in cruce socius, in morte commoricens, & in vita noua conresurgens.

§. 124. *Et tenuerunt eum. v. 51.*

Non miror iam in Actis martyrum multos reperiri Adauctos, in via ad martyrium ab euntibus vel correptos, vel se sponte offerentes, ecce in hoc adolescente cæpit quod postea Spiritus S. impleuit, iam gusto primitias Spiritus S. cum video iam tum adolescentem solum sequi. Pergite adolescentes, vos estis primi fructus Dominicæ passionis, pergite & nudi euolate ad Christi trophæum, ite, etiam inuitis parentibus ad sacram vitam, sequimini Christum, habetis exemplum.

Domine Deus amor noster, qui voluisti vt hic adolescens tecum caperetur externe, quia tecum captuserat amore interno, rogo etiam atque etiam te humillime, vt tibi se multi adolescentes adiungant, imo ligari, teneri, amore indissolubili tecum manere velint, vt nulla sit vnquam illis quiescens dies, & hora, nisi quiescant in te, super omnem creaturam, super omnem gloriam & honorem, super omnem potentiam & dignitatem, super omnem scientiam & subtilitatem, super omnes diuitias & artes, super omnem suauitatem, & consolationem, super omnem spem & promissionem: denique super Angelos & Archangelos, & super omnem exercitum cæli, super omnia visibilia & inuisibilia, & super omne quod tu Deus meus non es.

§. 125. *At ille relicta sindone nudus profugit ab eis. v. 51.*

Sindonem esse genus vestis lineæ corpori aptatæ, sed ita, vt facile dorso indui & eximi possit, instar tunicæ, dicunt alij, alij operimentum vocant vel pallium, & hic adolescens tali amictus sindone super nudo aufugit nudus, reiecta illa & relicta haud dubiè timore perculsus supplicij, aut amore indicandi B. Mariæ Virgini quid actum sit de filio eius: exiit autem illam sindonem, quia alba erat de nocte ne videretur in tenebris, & incognitus aufugeret, absque dubio permittente id Iesu, vt Matrem eius desolatam tanquam notus consolaretur, vel præsentia sua, vel dictis eorum quæ viderat & audierat de Iesu, licet acerbissima forent: & vt altero etiam die quid ageretur de Christo spectaturus rediret, & continuò referret piæ matri:

L 2

fic

fic. implebantur scripturæ dicentis, ipsum neminem inuenisse auxiliatorem aut consolatorem. Mysticè autem hic adolescens factò suo docet, si dum Christum sequimur atque hostes virtutis nos cum Christo perdere querant, & de suo numero facere fugiendū: mox esse ab eis, etiam cum iactura vestis, hoc est bonorum externorum & corporis, quo anima saluetur cum Ioseph.

Domine tenebræ seruiunt huic adolescenti. Bono ad bonum: sed quantum eheu malis ad malum seruiunt! qui non currunt ad B. Virginem matrem tuam, vel templà, vel exercitià pia: sed prò pudor, ad homicidia, latrocinia, veneficia, lupanaria, luxuriam, potationes, iras, rixas, contentiones & alia opera carnis, ut merito, si optare liceret, optaremus tenebras nullas esse, nec noctes opacas, ne tu Deus, amor meus, toties in nocte & tenebris offendereris: quidquid autem & quantum eis fauentibus deliquim, tu scis Domine: ideoque doleo, & peto gratiam ut deinceps non in tenebris, sed lumine tuo ambulem à peccatoribus segregatus, tuis amicitia vnitus.

§. 126. Et adduxerunt Iesum ad Summum Sacerdotem: v. 52.

Euangelista hic nil loquitur de Anna, socero Caiphæ, ad quem dicitur. Euangelista asseruit eum primo ductum esse ex horto: sed prætermisso tendit ad rem, & ad consilia de Christo. In domo enim Annæ nullum concilium, nulla conuentio facta fuit, sed in palatio Caiphæ Summi Sacerdotis anni illius: huc ergo adduxerunt Iesum ut iudicaretur, iudicio quam iniusto, tam horribili. Sed! quando illuc ducebatur quantæ putabimus ei ignominia fuisse illam ærumnosam circumductionem! tam ob corporis imbecillitatem, (quod penitus debilitatum ob sanguineum sudorem, & nunc festinanter, cum petulanter & ferociter trahentibus pergere debebat, per vias asperas & obscuras, ad milliare Italicum extensas: tanto enim hortus distabat à domo Caiphæ) quam trahentium feritatem, quia absque dubio, instar canum in captam prædâ, initio sæuissime grassati sunt: oderant enim eum ministri, sicut Domini, eoque magis contumelia afficiebant: quot scommata audire debuit, quot pedum trusiones & manuum in caput, in dorsum, in ventrem vibrationes, quot alapas, quot iocos, quot ludibria in plateis, è fenestris, à malis ciuibus, & incolis qui lætabantur, quasi in messe & vindemia, iam sanctæ genæ tumebant ob alapas, iam oculi & aures mædebant sanguineo rore, & guttis noctium seu tenebrarum.

ODirum iter! qualis hic Domini comitatus? qui paulò ante per eandem viam tanto cum honore & populi applausu urbem illam ingre-

luserat: quantum inter hunc & illum ingressum discrimen! Sequere nunc
 & anima mea. sponsum tuum, qui, vt te sibi sponfam desponderet, omnem
 hunc laborem & cruciatum perpeffus est. En traditur iam in manus hosti-
 um tuorum crudelium; & sanguinem eius sitientium Iudæorum, qui non
 cessabunt donec eum crucis patibulo affigant. Aspice iam nunc speciosam
 eius faciem eamque imprime cordi tuo, quia nec species iam illi ulla, ne-
 que decor, aduerte lugubrem hanc processionem: & noli horrere in Qua-
 dragesima & tempore Passionis aliquam vento vel cælo aspero viam: Ro-
 manam, seu processionem ad VII. Vrbis Ecclesias: Excita te, si horres, ora si
 langues, canta hymnos sacros si torpes, vt compentes Domino Deo tuo
 hanc suam tibi vtilissimam processionem.

§. 127. Et conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ & Seniores. v. 53.

In palatium Caiphæ Summi Sacerdotis vbi iam Christus dire vin-
 ctus detinebatur primo omnes Sacerdotes, qui tunc Ierosolymæ præsen-
 tes erunt, ob ministerium, qui cum Pontifice Caipha repræsentabant Cle-
 rum, siue statum Ecclesiasticum. Scribæ repræsentantes Doctores seu Aca-
 demiam, Theologos, Jurisperitos &c. & Seniores siue Magistratus præ-
 sentantes omnem statum sacularem, qui ex principibus, nobilibus & princi-
 palioribus plebis constabat tanquam senatus; sic igitur omnes status eo-
 conueniebant citati à Caipha Pontifice, vt plenum esset concilium quod
 magnum vocabatur; constans 72. viris siue Senatoribus vt ab eo toto
 Christus damnaretur, & damnatus Pilato traderetur ne Pilatus eum, vt-
 pote à toto concilio prædamnatum, absoluere posset. Ergo ab omni statu
 iudicatur Christus tam Ecclesiastico quam Academico & Politico qui Iu-
 dex venturus est omnium: & cur tam propere & de nocte cum verita sint
 Romanis nocturna consilia & suspecta negotia, quo titulo Catilinam Ci-
 cero non modice exagitaui; Certe non aliam ob causam, quam quia hæc
 erat voluntas & potestas tenebrarum, lucem fugiebant, ideo de nocte con-
 sultabant: lucem eius fugiebant & oderant quia opera eius in luce fiebant,
 palam docebat, palam reprehendebat Iudæos & eorum malam vitam, &
 doctrinam: ideo conueniebant & nocte in lucem sæuiebant.

Magnam reuera in Republica bonum est bonus Princeps, Consiliarij
 docti, sinceri & experti viri. Hi sunt insignis Magistratus, qui amet
 super omnia iustitiam & exerceat iustum iudicium sine personarum ex-
 ceptione; sicut diuiti, sic pauperi; sicuti principi, ita subdito ius suum tri-
 buat, quare summopere laborandum & orandum, vt in electionibus prin-
 cipum, & Episcoporum, & Doctorum admissioe ad Gradus & de lectu

Senatorum ac Tribunorum tam Ciuiliū, quam Militariū, accuratissima adhibeatur ratio. Orandus est etiam ante electiones eiusmodi orans Deus, ut mittat operarios dignos in vineam & messem suam, doctos, pios & iustos, qui populum iudicent in æquitate, non iniquitate, non proprium commodum & honorem, sed proximi vtilitatem, communitatis bonum, & Dei cultum ac honorem quærant. Oremus ergo Dominum dicentes:

Misericors Deus, cælestis Pater in cuius manu est omnis potestas, & Magistratus per te constitutus ad supplicium malorum, & defensionem bonorum, in cuius potenti dextera sita sunt omnia iura & leges imperiorum. Te supplices corde deuoto oramus pro magistratu nostro Ecclesiastico, Academico & Politico vna cum ijs qui sunt à consilijs eorum, & rem eorum administrant, ut gladium tam spiritus, quam carnis per te commissum in fide vera & timore Dei recte gerant, eoque pro tua voluntate & iussu vtantur, obumbrer ipsos virtus & sapientia altissimi, illumines, & conformet eos in amore Dei ipsa diuina gratia. Da illis Domine sapientiam & intellectum. Concede pacatam gubernationem, ut omnes subditos in veritate fidei, dilectione & iustitia, quæ tibi sit cordi regant, & dicto adiuuantes conseruent. Proroga ipsis dies vitæ suæ, & annos multos largire, ut prospera & laudata ipsorum functione nomen tuum sanctificetur, & populi inducantur ad omne tibi placitum bonum.

§. 128. *Petrus autem à longe secutus est eum. v. 54.*

Dum Christus ductus in atrium Principis Sacerdotum, in quo omnes conuenerant status Reip. Hebræorum & ordines, ad discipulos qui ex his ordinibus ac status erant sese etiam conuertit Euangelista, & quid Petrus corū primas fecerit enarrat. nempe eum qui antea aureos montes sperauerat ne quidem terreos præstitisse in tanta persecutione, sed primum debuisse in horto cum alijs discipulis, & fugam cepisse mox memorem verborum suorum, iterum resumptis viribus & animo secutum esse, verumtamen à longe, non prope. Vnde timeo ne hæc ipsa à longe sequela exitio nouæ ianuam aperiat. Rem totam videbimus.

Domine Deus meus, audiui ex SS. Patrum tuorum, meorum Doctorum & Magistrorum ore, quod te pro sit dispositio ad ruinam, & non pro te esse in primis sit appropinquatio ad postremos, timeo igitur & Petro & mihi, ne nobis contingant infortunia, dum te à longe & nos prope sequamur. Excita igitur nos in salutari tuo, ad zelum & feruorem deuotionis, ut grauius cadamus.

§. 129. *Vsque in atrium Summi Sacerdotis. v. 54.*

Petrus primo fugiens, deinde à longe sequens, nunceriam fit Intrans in Aulam Pontificis seu Summi apud Iudæos Sacerdotis, nam Gentilium Pontifex Maximus eo tempore erat Tiberius Cæsar Augustus, ut pater ex innumeris numismatis ab eo cufis, & adhuc apud Antiquarios extantibus, Petrus ergo ille quid ingrediendo aulam effecit? Si in probi Pontificis ut Oniæ, Ioiadæ & similibus Pontiff. aulam esset ingressus, certe bene ei fuisset: nunc cum video eum ingredi in Aulam tam mali Pontificis, valde timeo ne hoc ei male cedat, quia in illa aula non puto reperiri aliquem bonum nisi coactum intrate, quando iuxta vetus verbum Præsul ut ampiruat, sic vulgus redandruat.

A Mici mei, auditui sæpe quod qui velit esse pius, debeat aula exire: Fui & ego in aulis & diu & frequenter, sed experientia doctus puto esse discrimine opus, nempe ex Aula Sancta Theodosij, & similibus tam laicorum quam Ecclesiasticorum principum, non opus esse exire; sed vna posse pietatem coli: alias verè, ex eis esse discedendum; si sunt Aulae, qualis erat Herodis, & Caiphæ & his similibus. Ibi valet vox, quæ Arsenium ex aula exciuit, *Fuge, Tace, Late*. Adde tamen etiam in aulis sanctis Regum & Imp. & Principum, Pontificum & Episcoporum, quod nisi quis pietatem ipsemet inferat, raro inueniat, & allatam facile perdat, propter magnas occasiones & materias obuias, in quibus infirmitas humana, facile corrumpitur, nisi valde magna gratia Dei stabilietur. Quisque sibi attendat, Petrus nobis potest esse exemplum, si recentiora non tenemus portenta in aulis nata. Et te, ô Deus, qui uti hominem ad imaginem tuam condidisti, ita homines ad cælestis tui regni formam quoque colligi voluisti in Republicas, regna, Ecclesiam & ordines Ecclesiasticos, te supplico, ut omnes qui in aulis versantur potenti tua dextra protegas, ut sint sani mente & corpore, neque in vitia, quæ ibi obuiare possunt, declinent, & cum tu benigne Deus præuides, in aulis corrupendos esse, quos pretioso sanguine tuo redemisti, obsecro, auerte eos, arce, euoca, impedi, imo eijce eos, per amissionem gratiæ apud Principes, ut salui fiant foris, qui erant damnandi intus. Fiat, Fiat. Amen.

§. 130. *Et sedebat cum ministris ad ignem. v. 54.*

O Petre, Collegas Apostolos deseruisti, & Christum perdidisti; & Ministris Sacerdotum & Scribarum & Seniorum suos Dominos præstolantium in atrio seu antecamera adhæcisti, Quid fecisti? imo etiam cum eis ad ignem sedisti, quasi & tu Dominum tuum in aula præstolaberis donec
eum

eum domum reducas vt illi; sed hoc non est futurum, quia sicuti aliter
 venerunt Domini Ministrorum illorum, quam tuus Dominus; sic & mini-
 stri illi aliter illuc venerunt, quam tu, illorum Domini iudicant hic de capi-
 te Domini tui, & tuus Dominus iudicatur ab eis. Hinc debebas odorari
 fortunam & conditionem suam. Illi sedent bene quia Domini illorum
 sedent. Tu vero debebas stare, quia Dominus tuus stabat. Pessime fecisti,
 quod sic, vt illi, sedisti, nimis audax fuisti.

Bone Iesu, quam bene monuisti nos tuos per Spiritum S. dicens: *Cum be-
 no bonus eris & cum peruerso peruerteris: & qui amat periculum perbit in illa.*
 Petrus parum cautus vel parum adhuc versatus sedet inter ministros tot
 malorum Dominorum, quid inde futurum sit, facile est coniectare. Illorum
 ministros puto ego fuisse florem nequissimorum hominum in ciuitate Ie-
 rusalem. Quod enim tales solet latere, id certe vulgus solet nescire. Angor
 quando cogito Petrum tuum Apostolum inter tales sedentem malle
 eum videre in foro ambularem. Mallem eum magis in Templo seden-
 tem audire, quam cum Ministris talibus ad focum. Quid enim ibi, etsi alia
 omnia, in personam suam idonea fieri, omittantur, audiet Petrus, quid non
 videbit; quales scurrilitates, quales sarcasmos, quales narrationes & impu-
 tudines? O Deus sepi aures nostras spinis, fac in eis Catharorum pro-
 bantium tinnitus & susurros, & campanarum aut cantantium strepitus, ne
 audiamus in consortijs turpiloquorum, & scurrarum sermones nefandos
 sed & cor nostrum longè fiat, oro, à societate peruersa, à socijs nequam, siue
 in conuiuijs, siue hospitijjs siue nauigijs, siue in curribus, siue in plateis. O
 Beati omnes vos, qui à prauis colloquijs & socijs estis sequestrati.

S. 131. *Et calefaciebat se. v. 34.*

Ingressus itaque Petrus nequitiae Academiam, sicuti olim magi He-
 rodotianam Aulam sedebat quasi in schola, sed longe alia quam hæcenus as-
 sueuerat audiebat lectiones, sed longe alias, quam in monte. Videbar vilio-
 nes, sed valde diffformes ab eis quas in Thabor viderat. Imo calefaciebat
 se, forte non solo igne naturali, sed fortasse & morali; fortasse recreabatur
 lepidis horum ministrorum conceptibus, aculeis, mimicis gesticulationi-
 bus &c. Hinc vti Magis illam malam aulam ingressus, stella, quæ eis Hiero-
 solymam vsque Dux fuerat disparuit: ita Petro Caiphæ aulam ingresso di-
 mini luminis radius, qui mentem eius irradiare solebat, cepit obtenebre-
 cere: & quanto plus cum Caiphæ ministris camino appropians, cepit
 irradiari ab illo igne, tanto plus à luce æterna deficere. O Petre: Non in
 igne Dominus; Alloquor vos Rectores populorum, alloquor Patres famulantes
 allo

allo quor matres, allo quor omnes, quibus incumbit aut educandi cura aut officium regendi. Cauete obsecro vestris à foco otioso, intendite colloquijs eorum qui adfident illis, necessaria quidem res est in frigidis regionibus focus, sed & nisi prudens sit usus saepe valde noxia & periculosa multa ad focum contigerunt, quæ fuerunt deploranda apud pænitentiae locum; multa apud ignem, quæ restinguenda fuerunt aqua ex cerebro expressa. Non est opus vos alio ire, S. Petrum videre, iste vir, iste Prælati, iste senex, iste designatus Papa apud focum quomodo perijt!

S. 132. *Summi vero Sacerdotes & omne consilium quarebant aduersus Iesum testimonium, ut eum morti traderent. v. 55.*

Vidimus initia S. Petri & in eius persona Discipulorum Christi modulum, qui non erant de statu Ecclesiastico eius temporis, neque Academico neque ciuili, sed extra synagogam causa Christi. Iam videamus etiam quomodo se gerunt status ipsi supra nominati. Historicus facer ait: Omne concilium nempe ex Sacerdotali, Doctorali & Politico ordine ac statu conflatum, quod vocari solet *Plenum*, cum singuli & omnes sub iuramento citantur ad comparandum & consultandum; comitia nominant Latini, *Diætam* alij & *synodum*, alij *Capitulum*, seu *Congregationem*; in quibus hoc solet reperiri valde proficuum, quod in concilijs ex plurimarum personarum sapientia, experientia & prudentia, fiat vnus quodammodo intellectus; & ex plarium voluntate & arbitrio fiat vnum arbitrium & voluntas, & consequenter vna confietur potestas; si igitur accesserint personæ bonæ voluntatis, paratæ discere quod nesciunt, amare quod est bonum, odisse quod est malum, communicare quod sciunt, non plus sapere, quam oportet. Bonum erit Concilium, bona synodus, bona comitia, bonum capitulum; alias malum vti his, vbi omnes qui conuenerunt ad synodum fuerunt insipientes corde pariter, & ideo concorditer vnā fecerunt intelligentiam, siue potius ignorantiam, & pariter vnā peruersitatem, & vnū homicidium.

O Deus auerte hanc malitiam ab his qui conveniunt ad synodos & concilium aliquod, ne eo velint venire determinati ad malitiam, non solum apertam, sed nec implicitam, in suo proprio iudicio vel passionibus vel affectibus, hæc enim excæant, vti isti in concilio Iudaico excæcati fuerunt à suis passionibus. Sed culpabiliter, sed vincibiliter, & crasse, affectare. Hinc illa inquisitio Testium falsorum, & verba ad confidentem proditorem; *Tu videris. &c.* omnia secuta.

M

S. 133.

Equidem dicebant, quod *Sabbatum non custodires*, alij, quod *contra legem Moysis predicaret* & alia friuola; sed prò illa erant disconuenientia, quia ipse iam pridem hæc refutarat & responderat, adeò quidem ut obmutescerent semper, uti patet in Euangelij serie; nam primo, cum sabbatho curaret, dixit eis: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahit illum die sabbathi*: de altero illis responderat: *si crederetis Moysi crederetis & mihi*. Hæc in spiritu præuidens Dauid in persona eius dixit: *Concilium malignantium obsedit me*, non attendens illud Exod. 29. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* nam loco huius præcepti: *Resurrexerunt in eum testes iniqui & mentita est iniquitas sibi*: id est, iuxta suum placitum falsum pro veris obrulerunt, & ad iniquitatem proeuerunt, & ideo sibi ipsis magis nocuerunt quam Christo.

O Innocens Iesu, ô immaculate Iesu, Saluator noster te obsecro per innocentiam illam & puritatem vitæ, quam adeò innocenter transiisti ut in verbis vel factis tuis nihil potuerit inueniri, quod iure inimici arguerent, imò ne quidem speciem mali volentes reperire potuerint. Concede dignare mihi eam, in vita, innocentiam, castitatem, puritatem, ut prope mundi huius saltem in fine vitæ meæ, nihil inueniat maculæ, cui committere habeat, & accusare apud te Deus meus.

§. 134. *Multi autem falsum testimonium dicebant aduersus eum. v. 96.*

Cum iam verum non possent habere contra Iesum testimonium subordinauerunt Pontifices, Scribæ & Pharisei de Concilio, quosdam per canijs & promissionibus, qui dicerent falsum testimonium, ut sic haberent apparentem iustitiam & causam fucatam: in quo supra modum patet in dulcissimi Saluatoris, quod inimici sui peruersi non poterant ex omni altitudine sua inuenire, quo possent eum accusare, licet varia proferrent, quod dicitur videlicet magus, Samaritanus, vorator, potator, seductor populi: & alia similia, adhuc tamen opera Christi de quibus accusabant eum, erant ita cognita ut manifestè paterent his contraria mendacia, neque haberent apparentiam veri: vide hic mi homo diuersa hominum studia, pro diuerso affectu suo. Magi quæerunt Dominum, ut eum adorent, Herodes ut occidat, parentes ut eum amanter custodiant & ei seruiant, turba ut eum tangat & Regem faciat, seniores autem isti, ut eum interficiant: ô quam periculosum est sese immergere in desideria appetitus sui! & non frenato ipsa cogimine rationis! Cur non fecerunt absque omni testimonio? Ecce enim hi consecrati Dei, hi Docti, hi Seniores, suam iniquitatem & inuidiam for-

ma aliqua iudiciali palliate laborant : pugionem iam paratum gerebant, sed pallium quærebant, sub quo fessirent.

Discipuli tui, & veritas infinita, non debent esse ex genere hominum illorum, qui diligunt vanitatem & quærunt mendacium, ideo hunc versum indies cantant sibi & Ecclesiæ in completorio. Horrere quippe debent omne, quod non convenit veritati, sicut mortem & infernum : & veritatis decorem amare sicut animas suas. Quapropter in omnibus verbis & factis suis debent fugere vigilantissime vanam ostentationem, & fictionem earum rerum, quæ reuera tales non sunt. Schola tua simplex, casta & sincera longissime recedit à consuetudine filiorum Adam, qui cum Dij non sint, conantur apparere sicut Dij, & continuo vitæ mendacio seducere proximos suos. Et quidem si de veritate verbotum loquar Domine, serui tui cautissime debent loqui, ne verba sint contra mentem, in qua est sedes rationis, seu luminis tui super nos signati : debent profiteri semper veritatem tuam ante reges & præsides morique potius, quam proferre vnum mendacium, quantumvis officiosum, ita docet sancta tua Schola Domine, contra huius Iudaici concilij praxin, Huic proposito seruit, vt parce loquantur, qui diligunt veracitatem, quia in multiloquio non deerit peccatum.

§. 135. *Et convenientia testimonia non erant. v. 56.*

Admirabile quiddam notatur & insinuat ab Euangelista nostro; hoc loco: nempe principium Ethicum & Politicum, omnibus Iudicibus terrarum valde proficuum. Et quod quæso illud? Hoc: Quod nullus mendax hactenus potuit reperiri, qui tam artificiose potuerit mentiri, & fingere vt in proprio sermone suo non potuerit deprehendi quod mentiretur. Idcirco præfecti Quæstionum & torquendorum reorum, solent reos diuersis vicibus & diuersis quæstionibus prius explicari, vt explorent an mendaces sint incarcerati. Hinc, quia falsa fictaque erant, quæ contra Christum afferebantur, ipsi mendaces sese prædebant, apud ipsos Iudices, qui amabant mendacium, & quærebant illud. Sed tam artificiosum quærebant, quam artificiose fieri non potest neque ab homine, neque à Diabolo acutissimo spiritu. Hoc est quod Christus de falsis Prophetis dicebat: ex fructibus eorum cognoscetis eos: nempe si bene expenderitis verba falforum inuenietis in eis semper contradictionem, malam cohærentiam ex. gr. Reformati nostri dicunt, SS. imagines sunt prohibitæ in sac. litteris : quando quærit prudens Catholicus, vbi? reponit acatholicus: quia non sunt in Scripturis memoratæ, Ecce mendacium: est prohibitum in Sc. S. & non est mentio. &c. Multi quærunt sextus iuris vel sententias Doctorum & Casarum

starum, aut aduocatos ad iustitiæ suæ, & aliorum peccatorum defensionem vel potius palliationem, sed hi experiuntur etiam in sua mente, quod non sunt conuenientia testimonia.

Libera ergo Domine animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa. Quid enim, ô anima mea, tibi dari mali vel addi potest ad linguam dolosam? O Iesu Omnipotens, intenderunt quidem peccatores arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittarent in obscuro, te rectum corde: sed non proualerunt in iniquitatibus suis, in mendacijs suis, deprehendebant se ipsos & iudicabant: hoc non consonat. Gratia igitur tibi, Domine redemptor noster, auxiliator noster, & adiutor fortis in tribulationibus, quod sagitta inimicorum tuorum retrorsum iuerint, se laeserint, te exaltarint, tuamque innocentiam comprobarint: perge dulcis Iesu, sic hæreticorum huius temporis mendacia contra Ecclesiam confundere, sicuti tunc confundisti fallorum testimonium figmenta contra te. fiant sicuti falsi testes, contra Susannam locuti mendacium: imò iam tum sic confusi sunt, dixerunt enim Ecclesiam tuam adulterasse, interrogati sunt quo Anno? & ecce dixit, vnus illo, alius alio tempore, & non erunt conuenientia testimonia eorum.

§. 136. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersas:
eum. v. 57.

Lepidum negotium, Quando extraneæ concilij personæ, ad mendandum adhibita, non satis acutè mentiti fuerunt, zelosiores de concilio personæ, quæ iam auditis omnibus aliorum figmentis, distillauerant ex quinta essentia mendaciorum, contra omne ius & æquum ipsa met, relicta sede iudicum, collocarunt se inter accusatores, stando. Lepidum dico hoc negotium, quia pro se confundendis, non potuissent aliquid magis ridiculum inceptare. Sed hæc est hora hominum & potestas tenebrarum. Ista concilium vidit, fecit, & acquieuit. Bene Christi Innocentiæ, bene nobis Christianis.

Discite obsecro, vel ex hoc vno Christiani, quam malum sit si se homo non liberet à suis passionibus. Ecce qualem rem isti tanti viri faciunt ad confusionem suam, produnt se apertè, quod sint partiales, sint accusatores, non autem æqui iudices. Caue igitur, ô homo, caue passiones, si vis retinere honorem & reputationem.

§. 137. Dicentes: quoniam nos audiimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manu factum adificabo. v. 58.

Audiamus, quid iam ipsi mendaciorum Distillatores, ipsi Iudices p. ol.

sicut mentiri contra Christum! Ecce grande verbum, *Quoniam Nos, Nos, tanti*
 viri, quibus credi debet, quid autem vos grandes fecistis? sequitur: *Audiuimus*
 terribile testimonium, audisse. quid si falsum audissetis, uti modo audiue-
 ratis: cur non dicitis vos vidisse dicentem. Vos adstitisse? Et si hoc dixissetis:
 adhuc falsum dixissetis: nam vos non audistis adstando ei, quod Iesus
 dixerit, quæ vos ab eo dicta narratis. Quia contradictoria dicitis vestro
 proposito. Vultis enim reum mortis agere. Ita est, sed si hoc Christus dixit,
 quod vos asseritis, quæ culpa est, dixisse se posse, cuius experimentum ne-
 mo rogavit exhiberi. Quod autem possit hoc præstare, quod vos ab eo di-
 ctum asseritis, valde probabile fuit ex cæco nato datis oculis, vita sætenti
 Lazaro &c. quia facilius templum ædificatur quam oculus humanus lini-
 endo lutum. Vere igitur nequitiam vestram proditis, non solum surgendo
 ex sublellijs Iudicum, sed & tam falsa garriendo. Vultis scire veritatem?
 audite denuo, Audistis dicentem bonum Iesum (Ioannis 2, capite) post-
 quam ementes & vendentes eiecerat è templo, & dixerat: *aufferte ista hinc*
& nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Etiam respondentes Iudaos:
quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Etiam dicentem Iesum. *Soluite templum*
hoc & in tribus diebus excitabo illud. Dicebat de templo corporis sui. Hoc est
 dictum non quod vos imperite fugitis, qui tam verba, quam sensum Chri-
 sti deprauatistis, verba, quia Christus non dixerat possum destruere, sed *solu-*
uite, permitto, si solueritis, vos scilicet, non ego, ego restituum. Deit, de di-
 ceitis quod dixerat Christus, *templum hoc manu factum*, neque hoc addidit.
 Christus, teste Ioanne fidelissimo qui adfuit, neque dixit *post triduum reedi-*
ficabo, sed excitabo illud nempe corpus meum à mortuis: ubi veritas vestra, &
 testes? Vere in loco Iudicij tunc visa est iniquitas & quidem magna.

ET cur ò bone Iesu hic races cum de vita tua agatur? Vtique quia inimi-
 corum tuorum conscientia te innoxium agnoscebant. Non enim dixe-
 ras *possum destruere* licet hoc & vere dicere potuisses qui cælum & terram ex
 nihilo creasti: sed *soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* scilicet
 dicebas de templo corporis tui, Ioannis 2. Quia autem tot miracula patra-
 ras in conspectu ipsorum poterant & ex ijs cognoscere, te posse & mun-
 dum fabricare novum & diruto Salomonis templo, nouum statim ædifi-
 care, qui Lazarum vel nuper à mortuis quatríduanum resuscitaras: Da igitur
 clementissime Iesu, verbum tuum sanctum semper purgatis bene
 auribus gaudiū & bonis perspicillis adhibitis legam, & cum timore & reue-
 rentia credam & confitear sine hæsitacione, insuper, ut si contra me multa
 falsa dici intelligam patienter tecum sustineam, quando animaduerto

quod aduersarij mei euidenter mentiantur, tunc enim ipsi se conuincunt.

§. 138. *Et non erat conueniens testimonium illorum. v. 59.*

Pulchre Euangelista omnium tam Extrajudicialium, quam ipsorum Iudicum, contra Christum collecta accusationum capita concludit, dicens. Et non erat conueniens testimonium eorum; *primò*, quia ipsa testimonia inter se pugnabant, *Deinde* vnumquodque seorsim consideratum secundum circumstantias suas, etiam secum solo pugnabat. *tertio* quia persona, quæ talia testimonia dicebant, erant Exceptæ. *quarto*, quia, etsi omnia testimonia illa coaceruata credibilia fuissent facta ipsismet Iudæis, adhuc tamen erant inutilia ad propositum suum, nempe occidendum Christum per turpissimam mortem. Singula hæc demonstrare esset nimis longum, etiam si esset valde piū, & solatio aptum, cum videt Christianus, quam habeat innocentem Dominum, ipsorummet hostium tacita confessione. Ego in presenti solummodo elicio ex hoc ipso documenta. 1. quod melius sibi consulat homo si candide studeat & audiendæ & dicendæ veritati, tunc tot ambagibus & tricis non implicatur, ex quibus alias nunquam explicatur. 2. quod vt candidè audiendæ & dicendæ veritati studeat, oportet eum passiones & affectus habere moderatos, alioquin eum propellent sæpe ad falsitatem & libenter audiendam, (iuxta illud: *loquimini nobis placentia, & Deos vos esse dictabimus*) & ad loquendum mendacium, vti patet in hisce magni concilij Iudæis Consultoribus.

Domine Deus, Sapia & Iustitia & Sanctitas, te adoro & honoro propter innocentiam tuam & sanctitatem ab ipsismet inimicis agnitam, sed non confessam, quia volebant in te esse nebulas, quas quia non inueniebant, libenter fingebant, sed malo suo magno, magno nostro bono, quia agnouimus ex ipsorum modo agendi, modum agendi nostrum. Quem nisi tua gratia subleuemur, nobis relictis certissimè, vt Iudæi exerceamus. Non enim est peccatum tam grande, quod non faceret homo, nisi præseruaretur à te Deo bono. Quotiescunque ergo non feci cum proximo meo, vt illi tecum, toties debeo tibi laudem & quoties egi sicuti isti, & dixi vt isti toties debeo me accusare, de culpa mea: quia tu es Deus nolens iniquitatem. Bene dixisti de te Domine: *Veni Princeps huius mundi & in me non habet quidquam, venit & quæ fuit per suos affectas quomodo peccati te argueret, ex quo morti te condemnaret & traderet, sed in te non inuenit quidquam siue in moribus corrigendum, siue in vita, siue verbis, siue doctrina aut facto refutandum.* Obsecro te igitur Iesu innocentissime, agno-

itaque

immaculate semper immaculate per immaculatam vitæ tuæ innocentiam & rectitudinem, concede mihi similem agere in mundo vitam, qua purus, integer, flagrans tuo semper amore viuam, vt veniens in hora mortis, & extremo iudicij die Princeps mundi huius, inueniat in me nihil, aut accusacione, aut morte dignum æterna.

§. 139. *Et exurgens Summus Sacerdos in medium. v. 60.*

Cum iam viri huius funesti & prædatorij conciliabuli, qui iudices esse debebant, & sedere; stando præ impetu passionum manifeste obijissent munera accusatorum, & tamen nihil profecissent, ita ut iudicarent in conscientia, non esse, quæ dicta erant, conuenientia suo proposito: iam etiam incipit post omnes illos insanitè ipse Summus Sacerdos, & deserens officium iudicis, surgendo se facit accusatorem Christi, & qui omnium aliorum versutias iam audierat, ex illis vnâ nequissimam fecit imposturam, nempe Dilemma seu cornutum syllogismum, obtupescens cæteris Caiphæ ingenium, nempe: *Iste reus, aut dicit se esse Filium Dei, aut negat: quicquid autem horam elegerit, impinget.* Si affirmat, blasphematur: si negat, blasphematur, vtrumque autem meretur mortis reatum. Hoc Dilemmate reperto, animosè & passione raptus surgit, stat, accurrit, & se girat Pontifex, & se ipsum prodit.

Deus meus, opus est magna prudentia, vt homo seipsum non prodat siue bonus sit siue malus. Facibus tamen se oculit bonus, quam malus, quia malus est impudens & ideo facillime sese prodit, vt iste Caiphæ, modo sit qui acute attendat, ad connexionem officij, verborum, &c. circumstantiarum, quæ in aliquo esse debent, & non sunt. Hinc oro te, vt tu potens Deus & sapiens ita me regas, vt dicta & facta mea personæ meæ & officijs semper consentiant: nec me ipsum passionibus meis inhonorem.

§. 140. *Interrogauit Iesum dicens. v. 60.*

Totus tumidus fugitivus è folio suo, totus turbatus animo & corpore, spirans minarum & cædis, ex vehementi spiritu ignem persecutionis in se accendens accessit ad humilem Iesum, ante se ligatum manibus stantem innoxium sine felle, sine dolo, omne delectamentum virtutis in se habentem: & interrogauit eum tono duro, minace, superbo & fastuoso. *Tu non respondes quicquam ad ea, quæ tibi. . . . obijciuntur ab his. . . . tantis honorabilibus viris, Doctis, Senibus, Sanctis? Ote insignem tergiuerfatorem.*

O Iesu Rex gloriæ, qui totum mundum sapientia tua regis, Rex Regum & Dominus Dominantium, quam humilis modo stas, quam paruus, quam

quam depressus, quam despectus propter me. Vbi iam sunt illa millia milium, procidentia coram te in facies suas, teque adorantia, benedictoria, laudantia & sine intermissione dicentia *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. nimirum ò amabilis Iesu, hora hæc est tenebrarum, tempus maroris & amaritudinis meæ susceptæ à te. Ego sic tractari dignus eram, ego feci. Idcirco ego coram te procidens adoro te & dico: *Gloria in altissimis Deo, &c. Gratias, Gratias.*

§. 141. *Non respondes quidquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his. v. 60.*

Conuenit certe nomen Pontificis actionis suæ strenuitati: interpretatur enim Caiphas *inuestigator vel sagax*, sine vomens ore; sagax enim suus astutus ad capiendum seu decipiendum & velox ad prosequendum & splendū dolosa inuenta, sed & impudens ad ad proferendum ore mendam & contumeliam, non enim hic virget responsum vt innocenti Iesu credidit & eum absoluat, sed vt ex verbis eius calumniam parer, & condemnet. accuset, qui ex factis eius, & testimonijs probatis eum nec accusare nec condemnare adhuc poterat: & sic accusationem in interrogationem mutauit, Disce ò homo huius viri, ex eius agendi modo, malitiam. Ego & quilibet nostrum si hodie videremus aliquem Iudicem agentem, uti hic Iudeus agit, certe diceremus: iste homo est passionatus: non bene iudicabit. Boni siquidem Iudicis est veritatem animo sereno, corpore quieto indagare, & ideo Iudices debent sedere. Si surgant ante actionem finitam, si curritur, gestulantur, iam deserunt officium.

O Caipha, verbum mihi ad te est; Augustus Cæsar nuper defunctum habebat Mæcenatem amicissimum, & bonorum morum scientissimum, adeo vt idcirco eum Augustus pateretur in illo fastigio excellentiorum humanarum apud Gentiles pro pædagogo: Is sedebat in Iudicio exercens quæstionem in eos qui insidias sibi struxisse accusabantur; Astabat Mæcenas, obseruans Augustum suum ne quid contra bonos mores ager, videbat solos oculos eius succendi flamma, dum audit insidiarum argumenta; quid Mæcenas non audebat interpellare supremam Maiestatem & videbat quod in carnificinam vergeret, si taceret, ista oriens ira. Medicus inuenit, in tabella pugilari scripsit: *Surge Carnifex*, & Augusto in sinum proiecit, & reis profecit, Augusto cavit. O Caipha, qui tunc aderant tibi, omnes debebant tibi pro autoritate, vt iudices in consilium adhiberi, & xisse, Abi Carnifex: recede Latio; nam, *surgere*, tibi non poterant dicere, quoniam iam passio te exegerat è loco tuo, tanto deteriorem Cæsare Augusto gentili, quanto ille quam tu irascendi ad cædem reorum, minus causæ habuit.

Illi enim insidias erant moliti Augusto, Christus tibi nihil mali fecit. Iste erat reus et Dominus, tu huius rei es seruus. Sed dimitto te Caipha, quia scelus tuum impleuisti, nobis ad cautelam, exemplum fecisti, Christi innocentiam mirifice tuo modo iudicandi illustrasti. Satis fecisti.

§. 142. *Ille autem tacebat & nihil respondit. v. 61.*

Externe & interne multi namque sunt imperfecti homines qui quidem tacent externe, nil dicentes, interne vero secum ex impatientia murmurantes, imo clamantes, & vindictam cogitantes, plurima respondent: non sono oris sed mentis. non sic Dominus Iesus; ille tacebat & nihil respondit siue secum interne, siue ad extra contra Pontificem: nihil enim aduersus calumnias fortius silentio, quippe ipsa se veritas efficacius tacendo prodat, quam cum verba verbis opponuntur, & cogitur velut ex aequo veritas cum mendacio decertare: & hæc taciturnitas Christi olim fuerat præfigurata in illo sanctissimo Ioseph de quo legitur, quod cum Domina sua falso eum accusasset coram Putiphare viro suo, ille tacuit. Item apud Isa. 54. dicentem: *Quasi agnus coram tondente obmutescet & non aperiet os suum.* Tacere in tempore prudentia summa est, silentium enim rationem non reddit, contemplare igitur o anima mea omnem Christi passionem ad vltimi vltque spiritus exhalationem, & ne semel quidem motum eum fuisse reperies erga hostes suos tam immaniter eum afflictores, nec vllam siue in verbo siue in animo siue in opere aspernationem præ se tulisse: quàm potius omnem qua eos conuertere aut emollire potuisset benignitatem & dulcedinem in eos declarasse: tam enim amicabilis tam dulcis est Dominus, ut nesciat hostibus aliud, quam amorem & amicitiam impendere, osculatur proditorem se capere volentem, sanat auriculam abscissam, orat pro crucifigentibus: imo illorum ipsorum peccata & duritia, grauiori eum cruciatu afficiebant in corde, quam pena exterior quam sustinebat in corpore. Et nos ergo si Christo placere voluerimus, omnem procul à nobis amaritudinem, rancorem & passionum nebulas abijciamus oportet, siue camusque dum aliqua nobis occurrit aduersitas.

PUlcra sane virtus est verecundia, & suavis est gratia quæ non solum in factis sed etiam in ipsis spectatur sermonibus: ne modum prægredieris loquendi ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libret modestia: ne cuiusquam offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere prima disciplina verecundia est, imo etiam in omni vsu loquendi, ut sentiam quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda

N

prin-

principia commendent processum : silentium quoque ipsum in quo est re-
liquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est; denique si aut
infantiæ putatur, aut superbiæ probro datur : si verecundiæ laudi ducitur
tacebat in periculis Susanna & grauius : verecundiæ quam vitæ damnata
esse putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Soli Deo
loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui, refugiebat ora intruere vi-
rorum. Hæc modestia prætulit Publicanum, & commendauit, qui nec oculos
audebat ad cælum leuare : & ideo iustificatur magis Domini iudicio,
quam ille Pharisæus, quem deformauit præsumptio. Ideoque oremus in
correptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, vt ait S.
Petrus. Magna igitur modestia quæ cum sit etiam sui iuris tenendi remissior,
nihil sibi vsurpans nihil vendicans, & quodammodo intra vires sua
contractior, diues est apud Deum, apud quem sine hac nemo est diues. Di-
ues est modestia quia portio Dei est. Paulus quoque mulieres orationem
deferre præcipit cum verecundia & sobrietate. Primam hanc & quasi præ-
uiam vult esse orationis futuræ, vt non gloriatur oratio peccatoris : sed
quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundiæ de recordatione
delicti, eo vberiore mereatur gratiam recordatione Maiestatis. Est etiam
in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia : habitus enim mentis in
corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut
iactantior, aut turbulentior, aut contra grauior & constantior & purior
& maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporisque motus,
verecundia & silentium, quod vt imitemur exemplo suo nos prouocat ipse
altissimus filius Dei.

§. 143. *Rursum Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei. v. 61.*

Iam venit ad vltimum Pontificis & iniquorum Iudicium idem vel
strategema paratum contra Christum, quia cum Christi silentio, nihil per
priorem quæstionem esset effectum, sed admirabilem Christi Sapien-
tiam, eximias animi corporisque dotes virtutesque, & mores irreprehensibiles,
vitam integerrimam, & veritatem doctrinæ clarissimum, prudentissimum
silentium, ex quo nullam poterant sumere occasionem condemnandi
reum, insufficientiamque testimoniorum quæ allata fuerant: vltimam ad-
hibet machinam Pontifex, & talem quæstionem proponit sub qua astutum
latabat, vt dixi cornutum argumentum, & qua audita etiam respondere
cogeretur, & quicquid responderetur ex suo sermone certo caperetur. hoc
quasi dilemmate, aut filium Dei te dicis, aut non dicis, si dicis blasphemias
in Deum, & dignus es morte, si non dicis, mendax es & veritas non est in te,
quia

quia te filium Dei ante hæc nominasti, prædicasti, & docuisti palam coram omnibus, nobis audientibus, & ideo te tanquam seductorem populi, & falsarium in Republica, de doctrina tua te condemnabimus reum: ô quis poterit soluere & euadere tot, tamque subtiles laqueos: nemo certe nisi Deus fuerit cum eo.

DA mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam quæ mecum sit mecum labore ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore, ut si quando interroget, sciam respondere veraciter vel tacere prudenter: & si deo interrogare, id faciam sine fraude & machinatione doli. Aufer à me peccatum & ignorantiam, qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas, da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facultatem, loquendi gratiam copiosam.

§. 144. *Tu es Christus filius Dei benedictus v. 61.*

Interrogatio est, de re quæ humanitus videri oculis non potest nempe quod aliquis sit filius Dei, & quidem benedicti: ad distinctionem Idolorum seu falsorum Deorum, qui sunt Dij maledicti, ut ipsum mendaciū, quo facti sunt, est maledictū. Ego hanc quæstionē tantam moueri à Pontifice in consistorio suo publico audiens lator, & contristor, Lator, quia mea res in ea agitur, contristor, quia non proponitur eo modo & animo quo deberet proponi. Erit tamen utroque modo considerata ad salutem mihi, quia cum Christus ad eam respondebit cum vitæ suæ quod imminet periculo, mihi bene fiet, & cum mortem ob responsionem tolerabit agnoscam responsionis veracitatem.

Perge Christe, perge dicere, ut semper fecisti candidam veritatem, nunc enim iudicium mundi est, ex hoc de te iudicabitur.

§. 145. *Iesus autem dixit illi: Ego sum. v. 62.*

Vide Christiane, & considera; postquam mutato statu quæstionis, non de repellendis calumnijs, sed de veritate promouenda agebatur, tum pari fortitudine, quæ siluerat, locutus est: prius enim nihil dicere voluit & ne nuñ quidem crimina illata reijcere, quia iudices ipsi in mente sua conuicti erunt, non esse conuenientia mortis iudicio quæ hætenus erant proposita. at nunc plus dicit, quam ab eo petebatur prius se adeo infra homines demittebat, ut se pro reo, ac magnis criminibus obnoxio haberi non reueret: nunc ita se supra homines extollit ut velit non modo Dei filius agnosci, sed etiam rerum omnium moderator ac iudex æstimari, nempe imple-

met Deus. *Ego sum.* hoc enim nomine in Sc. Sacra Deus amat nominari. Iam acquiesco: Audiui confessionem bonam, confessionem claram, que animare debet omnem Christianum.

Gratias ago tibi Domine Iesu, quod haec tua confessione, posuisti lapidem primum, lapidem angularem Christianae Religionis; immobilis ex te immobili, aeternae ex fundamento aeterno, nam cum Religio debeat esse virtus Deo debitum tribuens cultum, utique Deus est basis religionis prima. Iam vero te, ô Christe esse Deum audiimus clari profectum verbis *Ego sum.* quicquid igitur in Christiana religione est, nempe à te ordinatum vere, id totum diuinum est, tale quo cultus Dei verissimus impenditur. Nihil igitur iam opus est nisi ut attendamus an ex te veniat, quod ad nos sub Christiano nomine venit, nihil opus est aliud quam ut attendamus an super te aedificatum sit, quod nobis monstratur. Hoc strenuè & pro vultu laborabo, sciens clarè, *Te esse.*

§. 146. *Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus Caeli. v. 62.*

Ecce quomodo iam Christus disertus est, & plusquam petebatur dicit, cum de veritate agitur: quasi diceret: Multa signa petistis à me Iudaei, multa patraui vobis videntibus, pauci vos in deserto paucis panibus, & imperfuerunt ex eis duodecim cophini fragmentorum, saturatis quatuor, & alias quinque millibus hominum, caecos illuminavi, surdis & mutis auditum & loquelam dedi, mortuos suscitavi & plura alia feci ex quibus me agnoscere debebatis filium Dei unigenitum secundum scripturas. nunc autem dico vobis nolentibus me agnoscere eius filium, & praedico quod me inuiti agnoscere debebitis, quando videbitis me filium hominis & filium Dei *sedentem à dextris virtutis & venientem in nubibus cum maiestate magna iudicare vos,* & sententiam in isto iudicio pronuntiare, qui modo me iudicatis iniuste & damnatis. Filius hominis sum, quia conceptus sum de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine in tempore, filius Dei sum aeternum à Patre genitus ante saecula.

S Petre, tu apud Caesaream Philippi interrogatus sententiam de Filio hominis extra omne periculum verberum vel mortis, confessus, quod ipse esset *Filius Dei Vini,* accepisti laudem, & beatus es praedicatus, & accepisti promissionem, quod tibi dandae essent claves Regni caelorum, quid igitur non laudis & gloriae debetur ipsi Christo Domino nostro, qui in periculo mortis grauissimae, hanc confessionem confessus est: Certe, dignus est accipere diuinitatem, & gloriam, & honorem, & virtutem omnem in caelo

caelo & in terra & infra terram. Ego igitur non me solum sed omnia mea offero hodie Domino meo Iesu Christo.

§. 147. *Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua ait. v. 63.*

Animaduerto non sine causa, ex parte quidem tua, passio iræ indomitæ imo sacrilegæ hoc causauit, ex parte vero Dei hoc ipsum permittentis causa est, indicare iam veteris Testamenti seu Legis Mosaicæ pontificatum & Sacerdotium Leuiticum iam esse destructum reuelato tam patenter Messia, qui Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech hac nocte inchoauit.

O Caiphas ultimus Pontifex Leuitici Ordinis, uti Aaron fuit primus, quia ille indutus est stola &c. veste Pontificia per Moylen, & in throno collocatus; Tu vero de illo solio surgens illud reliquisti vacuum, & quod adhuc in te erat Pontificale, nempe indumentum honoris pristini lacerasti, & te ipsum exuisti, iam Pontificatum perdidisti. Quid imprudens homo fecisti! Ecce sic passionibus suis dediti semper se ipsos plectunt, plus quam inimici eorum seu veri seu apparentes. Exue te potius passionibus, lacera affectuos prauios, non sancta vestimenta. Eadem exhortatio ad vos pertinet, ô Reformati prætensi, vos laceratis Altaria, Imagines, Sanctorum vestes sacras, libros Ecclesiasticos, calices & pretiosa furamini. Vos potius, mendacia, blasphemias & falsitates quas in Deum congeritis potius lacerare deberetis vestrum proprium Iudicium, vestras passiones tunc opera pretium faceretis &c. vobis & Reip. Christianæ.

§. 148. *Quid adhuc desideramus testes. v. 63.*

Audiro Christi Domini claro & aperto responso de se, quod ipse esset non solum Filius Dei, sed & Deus coram toto concilio, Pontifex gratulatur concilio, quod magno labore inquirendi testes sint defuncti, vel certe quodam fastu collegas in Iudicio contemnit, quod ipsi laboriose per viam testimoniorum & testium incedere voluerint, se sui ingenij acumine rem inquirendam confecisse, illos parum sapere, se lynceum fuisse; Sed ô Caiphas non aduertis tu eodem acumine quod manifestè ex Iudice fastus sis accusator & testis, & Iudicium te ipso teste & accusatore exerceas, etsi hoc animè aduertisti, uti de beo præsumere de tuo acumine, quid tibi de toto processu videtur? an ille potest esse iustus? velles ne tu eodem & testem & accusatorem & Iudicem agente iudicari? Non credo, quod te ita oderis. Cur ergo alteri sic fecisti? Vides credo quid velim tibi inculcare, sed sero te moneo, abiisti iam in locum tuum.

Domine Deus horresco intelligens hanc Iudicij formam. Sed quam ei meo, ut multa Iudicia, etiamnum ita exerceantur, si non in tribunali- bus, certè apud Detractores quotidie, id contingit. Hi & accusatores sunt & testes & Iudices aliorum.

§. 149. *Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? v. 64.*

Blasphemia est quando de Deo aliquid negatur, quod illi conuenit, uti esset si quis diceret, Deus non sapit; est impotens ad aliquid, & c. Item si quis Deo attribuat, quod de eo debet negari, ut si quis diceret Deum determinare homines ad peccata, vel damnationem æternam sine præiudicio in eis peccato & c. tale vero nihil à Christo Domino audio in verbis Christi, solum ait: *Ego sum nempe, quem me esse audieratis & ex operibus cognoscere poteratis, Filius Dei imo Deus.* An autem hoc ita serio querenti respondere, & quidem Pontifici & concilio, sit blasphemia, nondum apparet, & nescio quomodo aliquo rationali discursu hoc ex Christi dicto possit distillari. Si dixisset, Deus ille, quem vos hætenus coluistis docti per Moysen, non est verus Deus; sed ego sum; tunc fateor fuisset blasphemia grauis: & id non dicit, Deum hætenus notum vobis & creditum in sua æstimatione relinquere, & quis ipsemet sit, illi notitiæ addit, & quod addit, non repugnat Deo, sed consonat: quia in lege vestra, ò Iudæi, & Deus, & Dij, appellati sunt, qui erant homines, & Deus filii sine dubio habet, quia vos ipsi eum appellatis Patrem. Sed hæc erat vestra & tenebrarum potestas. idcirco Pontifex, qui iam sententiam de blasphemia tulerat pergit alios in suam trahere sententiam, & præcipitare: *Quid vobis videtur:* nam quid mihi videatur iam dicit.

Deus meus considero humani ingenij pernicitiam & nequitiam in isto Caipha, iste intendit omnes, qui in concilio illo magno sunt mouere ad effectum & iudicium suis passionibus consonum. Ideo non querit: an illa Christi responsa sint tolerabilia? an sanum possint habere sensum? an vera? sed ait: *Audistis blasphemiam.* Nequam omnino verbum. nam quis hoc audiebat, tam serio à Pontifice dici, certè apud te cogitabat, si tu non censeas blasphemiam quam censuit Pontifex tuus, diceris stupidus, qui non audias, sed sis surdaster, cede igitur Pontificis censura, ut non incurras notam surditatis. Cum igitur hac vafricie, omnes qui in concilio erant circumuenisset, & imbutisset, iam facile est æstimare, quid eis vilum fuerit, qui apprehenderunt Christi dictum esse blasphemiam, & ideo seuerissime puniendam. ò Deus præserua me & cunctos tuos fideles, à talibus machinationibus.

§. 150. *Qui omnes condemnarunt eum esse reum mortis, v. 64.*

Quid non valet in rebus Principum exemplum: siquidem eo errante & in

& in peccatum inclinante subditi plerumque mox sequuntur: utinam tantum posset etiam ad bonum: vide ad verbum iniquum Præfulis quid dicant Consules? attipulantur, fauent, gaudent, quia Præful vult, quia Pontifex dixit: & nemo se hic opponit ex toto Concilio, sed vna voce omnes condemnant Iesum tam clarè innocentem reum esse mortis. Videntur autem generali quadam acclamatione seu vociferatione eum condemnasse, non per ordinem dictis sententijs, seu iactis calculis, quod est novum vitium Concilij & arguit prædatorium fuisse conciliabulum.

O Peruersum iudicium! ô extrema malitia & pessima inuidia, quoniam non detrudis homines! Christus Deus ipse profitendo veritatem tantopere testimonijs scripturæ & miraculis probatam condemnatur de blasphemia: qui tam sollicitus fuit cultor patris? & qui sine peccato est, iudicatur reus mortis. O Clementissime Iesu, utinam ab Impijs & Hæreticis vsque hodie non sic iudicareris in Ecclesia tua & in membris tuis, qui ex proprijs sensibus pertinacia & malæ vitæ peruerlitate ac inuidia verba tua in peius interpretantur, & Ecclesiam tuam blasphemix ac Idololatriæ condemnant: si hoc fecerunt Iudæi, Legis periti contra te ipsum, quid mirum si hæretici & mali id faciant Ecclesiæ? da benignissime Iesu gratiam, ne & nos Iudæis similes simus, ne proximos nostros ex proprio nostro sensu vel passione vel inuidia iudicemus & condemnemus. Da obsecro etiam gratiam, ut sicut tu a deo iniquam condemnationis sententiam tam patienter pro nobis sustinuisti, ita nos sinistra & priuata hominum iudicia toleremus, qui in multis noxij sumus.

§. 157. *Et caperunt quidam conspuere in eum. v. 65.*

Hactenus fuerant Iudicēs hi & accusatores & testes, nunc etiam incipiunt esse carnifices, & executores sententiæ suæ. Profecto præclarum exemplar alicuius concilij & Iudicij hic habemus, in quo speculari se possint omnes mortales. Sed videamus quid agant noui illi carnifices, an bene exequantur Iudicij sententiam. Ego & Christus Dominus meus modo audiimus ipsum esse reum mortis, & ecce, video eum conspui, quid hoc est? Deur. 24. lego: *Educa blasphemum extra castra, & lapidet eum omnis populus.* Si igitur vere blasphemasse eum iudicatis, cur eum non educitis extra urbem vel saltem curiam Pontificis? cur conspuitis? sed video novos hos carnifices etiam nouis uti lapidibus, etiam noua area, nempe domo Capitulari, seu Iudiciali.

A Nima mea quid putas fuisse animi Christo Domino tuo, quando tali forma contra eum procedebatur? quando velut nouus Actæon & fuit.

suismet subditis & creaturis, tanquam nouis canibus circumdabatur, & moribus viperinis impetebatur. O vos nequam Iudices est hoc diligere Iudicium, & quære veritatem, & facere iustitiam, & conspuere nimirum faciem illam venerabilem, adorandam & consolatione plenissimam, quam tanto desiderio & solatio aspiciebant prius omnes tribulati, infirmi, oblessi, pœnitentes, & cæteri vt dicerent, teste S. Brigitta, cum languerent, *Eamus & filium Maria videamus*: nec non gentiles, dicentes Philippo: *Domine velamus Iesum videre*. Ioan. 12. In faciem, inquam, illam, in quam desiderant omnes sancti prospicere in cælis pro premio laborum suorum, & mercede tribulationum in hanc tanquam angelum fœtidissimum & sordidissimum expuunt isti sordes suas ab imo pectore vi extractas quasi non esset alius aprior hisce sordibus locus, quam ista sancta facies Christi: vnde & a Prophetis notata est hæc pœna: *faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me*: & ipse Dominus eundo in Hierusalem dicens: *Ecce ascensurus Hierosolymam, & filius hominis illudetur & flagellabitur & conspuetur*. Num. 12. patet, maximam fuisse ignominiam, si Pater spuisset in faciem filii: quanta igitur est creaturam spueri in faciem Dei viuientis & videntis, sed quoniam hodie faciem Christi conspuunt? nonne qui impuris cogitationibus aut cupiditatibus animam suam hoc est Dei imaginem fœdant: ô Christe spuis fœdissimis conspue, munda nos,

S. 152. *Et velare faciem eius. v. 65.*

Modo noui lictores, creati suamet voluntate, ex Principibus Sacerdotum & Doctoribus Legum & ex Principibus Reip. Christum quasi blasphemum modo plane nouo lapidauerunt, nempe ineptissime & scurrarum more conspurauerunt. iam quasi vulneratum valde obligare incipiunt & ex carnificibus fiunt chirurgi. Vel si maus intelligere serio agi, faciem sanctam indignam indicant, quæ videat & videatur ab alijs, ideoque abscondunt, implentes Prætoris Romani edictum. *Ita lictor, caput obnubito, & postea infelici arbore suspendito*. Potest & sic intelligi ista velario, vt intenderint isti scurræ, sputis iam iactis eius faciem perfricare, & cauere ne deflueret ille spurcus nimbus de facie in terram, sed in ea induraretur.

O Dedecus mundi! quomodo mundities tractatur? quomodo defædatur? facies decora nimis facies, sancta, facies adoranda, facies desiderabilis. Hoc videns animaduerto aliquod mundi secretum: nimirum, quod Mundus peccatorum, conetur, optet, in peccatis suis non videri, vel ab homine, vel ipso Deo, ne remoram aliquam patiantur in conscientia sua, malæ cursu ad peccandum dicente Iob. 27. *Nubes umbraculum eius & non videt*

videt que aguntur: sed frustra. Existimasti inique quod ero tui similis? arguam te & statuam contra faciem tuam. Tu cordium Deus, ne finas me miserum peccatorem, vel meorum, vel oculorum tuorum obliuisci, vt velim eos tegere, aliter quam Seraphim, qui venerantes Deitatem tuam incomprehensibilem, velant facies suas præ Maiestate tua in cælis continuo: ô benedicta facies, ô pulchra & decora nimis quando licebit intueri te, contemplari te in excellentia pulchritudinis tuæ, vt possim satiari de te satietate infinita.

§. 153. Et Colaphis eum cedere. v. 65.

Initium Christi passionum post condemnationem eius fuit conspuratio, deinde velatio, iam colaphizatio, ita vt à longe orsi peccatores, paulatim & per gradus audaciores ad grauiora supplicia irroganda accesserint, est autem Colaphus, talis ictus, qui fit valida plenaque ac densata manu, pugnaue, in quo considero formam clauæ, qua sane fit validior ictus, quam baculo alio, quia clauæ impetum multum adiuuat ponderis conglobati libramentum. Hoc ergo pressuræ genere nunc Dominus vexatur, & quasi antea vnxisset, nunc ei interunt turpe condimentum. Sicut igitur Lux lustrorum crescit vsque ad diem perfectum, sic tenebræ impiorum & malitia à crepusculo sensim deurgunt ad mediam noctem.

EN, anima mea, qui tunc cæsus est colaphis Iudæorum, nunc pro dolor sæpe cæditur blasphemijs falsorum Christianorum; & qui conspurus est saluis infidelium, nunc vesanis inobediencie vexatur opprobrijs filiorum improborum: En dilectum tuum cuius caput aurum optimum, inhonoratum excrementis scurrarum; qui pasitur inter lilia sordibus; in cuius labijs diffusa est gratia, in eius facie natus squalor: in cuius manibus inuenta non est iniquitas, turpiter alligatur, ac si in omnibus deliquisset, nihilque esset atrocitatis vel pœnæ quod in caput ipsius innoxium conuerti non deberet. Dicigitur anima mea Deo deuota & clama: Ego quæ peccaui, in me conuertite ictus, hic autem quid fecit? En me quæ furta commisi, quæ rapui, quæ in cælum & terram peccaui, hic autem nihil mali gessit.

§. 154. Et dicere ei; prophetiza. v. 65.

Iam complutus erat Dominus sputis, & afflictus in eo erat odoratus: Velatus erat, & afflictus in eo erat visus: colaphis cæsus, & afflictus in eo tactus: modo additur cruciatus etiam auditus, per sarcasticum illud, *Prophetiza*. in quo duplex inuoluitur nequitia, vna, quod iubentes prophetizare occulte indicatis, in hominis potestate esse vsum prophetiæ, quod cum non possitis vere sentire, subiudicatis Christum Dominum de suo corde

○

hacte-

hactenus prophetasse, & ideo posse prophetare cum ei libuerit, vaticinia compaginare & sic fallacem esse prophetam & impostorem. Altera nequitia est, quod prophetiæ nomine abutimini blasphemæ, quia rebus iudicis applicatis, quasi ad sciendum hoc quod quisque videre potest, debent adhiberi prophetia, poterat enim quilibet adstantium videre quis Dominum verberaret.

O Iudæi impij, vultis serio scire quis eum percusserit, vos ipsos interrogate, vos enim & scitis & fecistis ipsi, cur illum otiose interrogatis? vultis ut ipse vobis id ipsum dicat? nolite expectare ut sit tam imprudens, ut ad vestras quæstiones vel iustiones fallum habentes suppositum illerespondeat sine distinctione, nam quærendo, *quis est qui te percussit*, clarissime supponitis vnum de multis id fecisse, quod est manifeste fallum, quia omnes vos fecistis, quod falso vni ab illo imputari voluistis. Ecce tales malitiæ apparent in breui verbo vestro prophetiza, quid non in corde adhuc abscondistis? An putatis ideo eum nescire singulos, qui eum percusserunt, quia non confestim respondit? nolite credere hoc, quia ille vobis ante hæc sæpe depinxit cogitationes vestras, quæ erant millies occultiores, quam colaphi illi, quos & sentiebat tactu, & percipiebat auditu. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Ego tibi, Domine Iesù, in hac scena tertia actus primiper Passionem tuam mundo & cælo exhibiti gratulor quod gloriosissime eam peregisti pro salute nostra, patièdo, tacendo, quia non erant homines, nisi externa specie & natura carnis, qui hanc scenam tecum agebant. Ego firmiter propono non agere illusorem & irrisorem; sed magis compati: etiam tuo exemplo tolerare hæreticorum probra & sanas insanas, illi enim prorsus eodem spiritu agunt cum tuæ Ecclesiæ membris sicuti fecerunt hi Iudæi cum eius capite pretioso, amabili, pulchro.

S. 155. *Et ministri alapis eum cedebant, v. 65.*

Hactenus expresse & distincte quatuor sensus in Christo specialibus afflictionibus erant vexati à Dominis ipsis qui erant in concilio, nempe Sacerdotibus, scribis & senioribus, nunc affluentes ministri eorum & patefacto loco concilij, intromissi scenam quartam inchoant: hi enim Dominis suis cedentes principatum quendam in plectendo Domino nostro, illis colaphos permiserunt, sibi alapas reseruarunt.

O Ministri mali malorum Dominorum, vos valde erratis. Forte audistis tumultum verberantium in loco Concilij, irruistis, quasi Dominus vestri percuterentur, Ah non, non, Illi percusserunt, non Christus. Ipsi digni erant.

erant verberibus multis, & ea Christo impegerunt, nolite sic brutè irrue-
re, prius intelligite, antequam agatis aliquid. Sed video, ministri non sunt
prudenteriores neque meliores Dominis suis, nisi forte in hoc, quod, si alapa
leuiore sunt colap his, in his instigendis ministri fuerint mitiores Dominis
suis. Interea tibi Domine Iesu gratias ago pro his alapis quibus ostium be-
nedictum, instrumentum gustus vexatum fuit à ministris istis, qui solent
vorando, potando, detradendo, garriendoque peccare, & erant digni vt a-
lapis caderentur quotidie, sed tu medicinam pro illis sumpstisti, imo & pro
me. Idcirco profunde adoro te Domine Deus & Saluator meus.

HOrrore certe plena sunt omnia, quæ hac nocte erga Christum gesta
sunt, ita vt nec mens satis capere, nec lingua aut calamus exprimere
valeat. Hoc sufficit: *fecerunt in eum quacunque voluerunt.* Quid non autem ex-
cogitarunt odio & rabie insatiabili in eum adacti? Vicissim sibi succe-
dentes Ministri impij, vt longioris noctis fastidium subleuarent, Satana
instigante, in eum quælibet audebant, non solum blasphemando, conuiri-
ando, maledicendo, sed etiam toto corpore exagitando. Hinc aliqui asse-
runt ex mente S. Hieronymi, aliorumque SS. multitudinem, atrocitatem-
que iniuriarum noctis huius, non nisi in die Iudicij reuelandam. Certe in-
numeras per ministros impios tunc depromptas iniurias & blasphemias in
se, voluit Christus per pios Ecclesiæ suæ Ministros quotidie in finem vsque
sæculi compensari, idque per matutinas horas & laudes, vbi omnes Crea-
turæ inuocantur ad eius benedictionem & præconium, loco maledictio-
nis tunc perpeffa. Quid ergo dicemus de illa nocte? nescio quo nomine
eam possim appellare: ex parte mysterij fœcunda est, & ideo admirabilis;
ex altera parte ærumnis plena est & adeo miserabilis. Crudelis Christo est
& luctu digna, nobis interim felix est & fructuosa, in ea præcipuum redem-
ptionis nostræ opus inchoatum est, & Actus primus Passionis Dominicæ
est absolutus. Sed adhuc vna restat scena quam protinus contemple-
mur,

§. 156. *Et cum esset Petrus in atrio deorsum. v. 66.*

Digreditur hic Euangelista relicto Christo inter principaliores mi-
nistros impudentissimos, inter arma & dentes, leones & vrsos, inter ser-
pentinum & vipereum genus Pontificum, inter alapas & Colaphos, inter
maledicta, & sputa, & ludibria, & pergit ad minores ministros, quomodo
etiam illi passionem Domini suo modo auxerint promouerintque, ne ullus
deesset status vel conditio hominum, pro quorum culpa non daret hic Sal-
uator lytrum & copiosam redemptionem, Quid igitur minus ministerium

& secundarij serui agunt circa Christum mali? Hoc, quod Petrum eius designatum vexant Vicarium, ita vt illum ad abnegandum principalem suum compellerent, & sic omnibus amicis suis denudarent. Quomodo autem hoc perfecerint, accurate prosequuntur Euangelistæ, ad nostram instructionem, ab ouo vt dicitur seu primo initio exorsi, aiunt enim quod Petrus securus fuerit Christum captiuum à longe, amore quodam, quo erga Dominum præ alijs ardentius afficiebatur, sperans quod posset latere & videre euentum rei, adiunctus est ei & alius quidam discipulus, ita notus Pontifici, vt potuerit etiam secum Petrum introducere. Introductus Petrus permiscuit se vilioribus ministris in atrio ad ignem, modo stans, modo sedens, modo accedens, modo paululum recedens, explorans quid ageretur de Christo Domino suo. Hac occasione factum est, vt variæ interrogationes ei sint propositæ, quæ sequuntur, ex quibus tandem crebra eius secuta est ruina. Hoc considerans non parum percellor, quis enim crederet in aula Pontificis hominem venturum ad lapsum cum Pontificis nomen importet officium securitatis tantæ, in transeundo huius vitæ fluuio, quantum importat securitatem famis, si habites cum pistore. veruntamen aula Pontificis fuit Petro occasio lapsus.

Domine Deus, video quod neque locus neque tempus sit satis potens arbitrium Hominis tenere, à lapsu, sed gratiæ tuæ plenitudo & Hominis cum ea cooperatio. Idcirco bene dixit Sanctorum tuorum vnus, quod nec vestis nec professio faciat monachum, scilicet bonum, sed sancta morum conuersio, alias omnis creatura de se apta est seducere miserum hominem inclinatum sic ad ruendum, sicuti lapis ad descensum.

Domine Deus nostet, & amor meus, quod si me mundus alliciat, si caro ad blandiatur, si tentet Diabolus, si pro innata obseruataque natura peccatum fores pulsare præsumat, si pro veteri satis nota consuetudine sodales inuitent, si denique ad pristinam malæ vitæ vesaniam me prouocet voluptatis illecebra! aspice in me & miserere mei Deus, confiteor planissime, quod non stabo, nisi tu me fulcias, quod non viuam, nisi mihi inspires gratiam, quod non perseuerabo mea vi, nisi tu me perseuerare doceas, suggerendo talia media, per quæ euadam periculum, lucret præmium.

§. 157. *Et venit vna ex ancillis Summi Sacerdotis, v. 66.*

Vel casu venit hæc, vel agitata à Diabolo, vt tentaret Petrum, cæteris ancillis curiosior, audacior, & procacior, curiosior si vt videret, quinam starent in atrio vel milites vel externi sequentes captiuum: audacior, si vt ostentaret præsentibus, vel pulchram specie vel ornatam plus cæteris: procacior

facior, si ideo ut quem forte sibi gratum videre & amicum intueri vel lucrari posset, vel ut colloqueretur variis ibi collectis ministris, & quæ intus gesta perceperat, foras effutiret, more garrularum, quæ rimis plenæ sunt, & hac illacque perfluunt. Ecce venit Ancilla, ô Petre, male venit, irriti lapsum venit. Vere dixerim vna mulier fecit confusionem in domo Petri futuri Pontificis Noui Testamenti.

Domine si ita est, uti est, ut ancilla, serua, mancipium confusionem patri Petrote amanti, te sequenti, & designatæ columnæ in Ecclesiâ tua sancta? quid nobis miseris futurum censebimus, si in Medæas, Aglâias, Pelagias & similes potentias, tanquam veneficij pollentes incidamus! Custodi me Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, cum species sollicitans & alliciens uti validus ventus irruit in me, cum vox suavis & dulcis resonat in me, ut me deiciat, tunc oro in adiutorium meum & omnium intende; & si fors ex naturæ infirmitate & carnis imbecillitate vacillauero, porrige dexteram, ne succumbam: *pone me iuxta te, & cuius manus pugnet contra me, si enim tu Deus pro me, quis contra me praualebit nec sanguis nec caro, nec mundus nec diabolus, nec vir, nec mulier, nec amicus, nec inimicus, nec extraneus nec domesticus me superabit.*

§. 158. *Et cum vidisset Petrum calefacientem se. v. 67.*

Inter minora ministeria est ancillatus. Ut ergo fœmineus quoque secundum Ambrosium sexus, in necem Domini cooperetur, & redimeretur per Domini Passionem, illa & aliæ aliquot fœminæ ad Christum cruciandum accesserunt: nam ex virili sexu cooperabantur, ad Christi Passionem, Principes, priuati, Sacerdotes, laici, amici, inimici, Iudæi, pagani, liberi, serui, iuuenes, senes, sexus fœmineus hæcenus deerat, interuenit ergo ancilla Pontificis vna, non quidem ut immediate ipsa Christum Dominum cruciaret, sed æquiualeuter per Petrum eius carissimum discipulum affligeret. Valde autem opportune ad Petrum vexandum permilla est ire ancilla, ut per eius considerationem Petri terunderetur iactantia: sic lenim & superbia & fastus Holofernis confusus est per Iuditham: Pharaonis per muscas & cyniphes. Quid igitur fecit hæc ancilla cum Petro, ut per Petrum affligeret Christum? Hoc, vidit eum. Hoc fuit initium, uti *Lupi videndo Marin & Basiliscus videndo hominem* dicuntur iam nocuisse.

Domine Deus, siue verum sit, siue falsum quod lupi prius videndo hominem, quam homo lupos, raucedinē causant & basiliscus hominem videndo occidat, certe hic valet prouerbiū. nam ecce ancilla Petrum tuum designatū in terris Vicariū vidit & occidit, & raucum fecit, imo vocē peius

raucedine mutauit, Estne tam periculosus aspectus mulieris in viro Eccelesiastico? Quid est hoc? certe humana natura hoc euentu valde fragilis esse proditur, quæ sic faciliter læditur, & quæ sic leuiter lædit, videtur esse valde venenata.

§. 159. *Aspiciens illum. v. 67.*

Antea vidit ancilla Petrum, hoc erat primus gradus ad Petrum, nunc illa effrænis etiam adspicit, id est oculos in eo figit inrentiores, vt & cæteri illius directione notare possent, & ipse Petrus aliquid singulare imminere ab ipsa. Cur hoc ita egerit, vel quid ipsa cogitauerit ita aspiciendo Petrum variè coniecto. Forte modestiorem cæteris vultu, gestu, moribus, facie in faciem fixâ cum silentio, & vestibus compositis ad honestatem, & decentiam sui status Apostolici, indigne tulit, non esse vt alij lasciuum, non sese indigne ad ipsam, vt cæteri, exhibendo manibus & pedibus, huic Pontificiæ ancillæ signa reuerentiæ & amoris, sed solum calefacientem se, quasi abscondite, & cum timore & tremore.

Domine facillime produntur serui tui ex moribus diuersis & modestia in verbis, ita vt etiam si se vestibus cum profanis hominibus concordando induant, tamen ex modo reliquo corporis aliquid de schola Christi effulgeat, & ex hoc ipso sæpe Sacerdotes & religiosi prodantur apud hæreticos, quod tam luxuriose, & scurriliter non loquantur vel agant, vt alij. Hoc etsi aliquid affert ipsis ita proditis incommodi, tamen reuera valde eisdem est vtile & gloriosum, quia impletur in eis donum tuum & verbum tuum, *vos estis lux mundi*, non potest ciuitas supra montem posita abscondi. Hoc magnum est, certe bonum, & inter læra reponendum.

§. 160. *Ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. v. 67.*

Iam prodit quod antea suspicabar, cum intente mulier illa Petrum aspiciebat. Sed valde mirandum videtur, quod ista ancilla sit tam gnara in discernendis personis, nescio quid de hoc cogitem, aut quæ sit causa, inter tot externos ministros illam ita exactè agnoscere Petrum. Hæreo, insolens res est, possum suspicari, quod diabolus eam sibi, vt præcipuum & aptissimum instrumentum ad deiiciendum Petrum elegerit, & magis mota egerit, quam se ipsam mouens.

Deus meus negare non possum, quod natura feminarum sit per suas qualitates valde apta ad operationem Diaboli, præsertim machinationes, vbi de viris agitur, quia intellectu & iudicio multo pusilliore est, quam vir, si prudentissima mulierum cum viro prudentissimo conferatur, & affectus nihilominus habet viuaciores, & quod semel apprehendit, ægerime mutat

mutat. Fateor tamen in presenti negotio, multum abusum fuisse Dæmonem famina contra Petrum sic loquendo. Uti convincunt quæ sunt subsecuta: etsi ergo syllabæ non explicitam negationem præferant, sensu tamen obvio suo, æquivalenter Dominum neganti propositioni concordant. Notandum est hic quinque modis negari Christum 1. *Corde tantum*, uti Athei in psalmo *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* 2. *Oretenus*, ut hic Petrus qui in sinu & pectore aliud sentiebat. 3. *Opere tantum & hoc dupliciter* vita scilicet impia & non Christiana, qualis est in his qui Dæmones consulunt, ob spem auxilij alicuius, uti Saul, vel metu ad violandum aliquod mandatum se adigi sinunt, uti S. Marcellinus ad Thurificandum timore Diocletiani. 4. *Ore & opere tantum*, ut impius in cuius ore nil crebrius quam negare, vel abiurare Deum & ex cuius moribus clare videtur illum nullo tangi sensu diunitatis. 5. *Corde, ore, & opere simul*, uti Iulianus apostata & alij. Ex his autem modis solus secundus modus convenit, nempe Petro, qui oretenus duntaxat Christum negavit; fide in sinu eius illæsa permanente, uti ei prædixerat Christus, *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.*

Quis quæso purasset quod postquam Sisara Chananzorum fortissimus Dux è manibus Barach, & copiosi exercitus eius insidijs liber & incolumis evaserat, tandem in imbecillis feminae manus incidens clavo tempora eius confodienda forent, & ignominiosè occumberet! Hoc tamen in Sisara testante Iudicum libro accidit, & nunc in S. Petro eius speciei rediuvia elucescit. nam, ecce Petrus tempore comprehensionis Christi in bello cum Malcho, illæsus evasit nunc verbo ab ancilla in aures adacto humo affigitur!

§. 162. *Et exiit foras ante atrium. v. 68.*

Necdum tamen plene & plane extra aulam Pontificis, quia manet ante atrium, per consequens in occasione relabendi, si interrogaretur de novo de Christo, quod paulo post accidit, vidente illum ibidem alia ancilla stantem, & interrogante. Quia Petrus volebat videre finem, an scilicet Iesus à Pontifice & concilio damnaretur ad mortem, an absolueretur, vel ipse Iesus se à periculo liberaret. Si enim damnaretur, sibi fuga consuleret, si absolueretur ad eum quasi discipulus officiosè rediret, si seipsum liberaret primus ei gratuleretur.

Vere agnosco idem Deus meus, quia in aula occasiones mille peccandi occurrunt, possunt multi aulici dicere vere: *si tot annis in aula non fuissim, & commoratus inter turbas, fors tot peccata, eheu non perpetrassim, misereatur.*

tur horum omnium Deus & respiciat pauperulam animam eorum, miseris plenam, quorum corpora de foris sunt pretiosiss & mollibus vestita. Respiciat eos oculis misericordiae suae, sicut Petrum in aula Pontificis, ut iam nunc prouideat quales & ubi erunt aula relicta. Ego interea S. Petrum reuera miror in illa tribulatione, quod tam adhuc sit constans, in adhaesione sua apud Christum, qui quasi exturbatus ex atrio, saltem haeret ad primum introitum. quisque cogitet apud se quam parum ipse fecisset, si loco Petri fuisset, & scio Petrum magni faciet & amabit.

§. 163. *Et Gallus cantauit. v. 68.*

Erat hoc signum aduertentiae, ut sibi Petrus prospiceret in tempore, ne ultra circumueniretur & induceretur in aulam per aulae Ministros ad peccatum grauius, sed recordaretur verborum Domini, & fugeret aulam & occasiones occurrentes in ea: sed quid Petrus praeter angustia spiritus, & peccati commissi signum hoc Galli forte non percipiebat, aut si percipiebat, non ruminabat, uti potuisset; forte etiam requisit & focum & milites in atrio, infimae plebi iterum immixtus, apud quam omne genus iniquitatis & exercetur & docetur.

Domine, videtur hic Gallus designare concionatorem, qui instar Galli peccatores forti clamore excitat, & pulsat ad ostium & aures conscientiae eorum: tamen si enim ad eorum vocem non statim excitantur, tamen aliquando licet sero recordantur auditorum & inde emendantur, ut fecit Petrus, qui post respectum Christi recordatus est cantus illius, & deinceps in vita post gallicinium dicitur surrexisse e strato, & peccatum suum lacrymis ac precibus matutinis ac Laudibus eluisse. Molestus est quidem galli cantus nocturnus pigris, sed gratus laboriosis. Eadem est ratio de Concione, Gallus antequam cantet se ipsum alis percutit, ita decet etiam ut Concionator se ipsum primo castiget & in seruitutem verbi quod praedicabit, redigat exemplo Christi & Apostolorum eius qui primo faciebant, postea docebant, qui primo castigabant corpus suum & in seruitutem redigebant ut forte cum alijs predicauerint, ipsi reprobi efficerentur: sed quam bonus Israel Deus ut perditam reducat ouem in ouile suum, omnem non laborem adhibet, ut peccatorem saluet, seipsum cruciatibus dat & morti, ut reuocet a via iniquitatis, mouet caelum & terram & cuncta visibilia & inuisibilia, animata & inanimata ad mouendum peccatorem, ad resurgendum a lapsu, ad agnoscendum & recurrendum ad Deum suum, eique sese submitrendum, & eius gratiam adipiscendam, cum enim corruptionis venam ex radice peccati progenitorum nostrorum traxerimus, ad omnem malitiam procliuus sumus, nec potest virus hoc serpentinum & vitiosa propensio, nisi per sanctam

Cruis

Crucis tuæ diuinum curari mysterium. Quod si, ð æterna sapientia, natura humana in prima sua dignitate posita secumque manens stabilis perseruare non potuit, sed lapsa est quanto minus iam corruptus homo & vitiatus, suis non poterit viribus super se, cum Petro vel stare vel attollere, nec poterit quidem absque ingenti misericordia tua ad primam reparari innocentiam suam, sed erit tanquam abortivum à matre sua, perenni cum dolore proiectum. Tu igitur Saluator, Erige vires meas omnes per amorem, vt te Deum Creatorem ac Saluatorem meum toto corde diligam, tandem gratias agam & honorem, nec ulla cesset creatura benedicere & magnificare nomen sanctum tuum in sempiternum.

§. 164. *Rursus autem cum vidisset illum ancilla, capit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. v. 69.*

An S. Petrus, qui post negationem primam ab atrio infortunato recesserat, reuersus sit in atrium, & sic eum viderit ancilla, & dixerit ista verba non satis ex hoc textu discerno. Sed neque an fuerit alia ancilla, an eadem, quæ priorem fecit aggressionem. Quicquid horum sit, siue eadem siue diuersa fuerit, siue in atrio siue extra atrium sit aggressa Petrum, satis apparet Domum Caiphæ satis fuisse indisciplinatam, in qua essent ancillæ tam garrulæ, tam vagæ, tam rerum ad se non pertinentium curiosæ. Non acquisierant illæ tales habitus & frontem isto die, sed vsu prolixiore attriuerant frontem.

DEus meus, ab otiosis, garrulis, inquietis & curiosis famulis libera seruos tuos, maxime heros & heras, & Prælatos. Virga, onus & pabulum asino: seruis disciplina, occupatio & necessitatis eibus Si molliter educaueris hoc genus hominum contumax erit. Optimum remedium indisciplinatæ familiæ est diuortium, quod ancillis Caiphæ pridem oportuerat esse oblatum, Sed similes habent labra lactucas.

§. 165. *At ille iterum negauit. v. 70.*

Ecce quomodo semel admissio in animum peccato maxime mortali, pronissime additur secundum & plura. Et qui non fugit primam peccandi occasionem, alteram inueniat. Meliorem Petro tibi Christiane fortunam noli fingere. Statim pœniteamus de peccato commisso & redeamus cum Deo in gratiam, si periculum, ne cadamus, euadere festinamus. Dato enim vno absurdo dantur mille: Horum autem periculorum magnitudinem norunt soli spirituales viri, qui penetrant infirmitatem naturæ, in statu lapsio, & norunt multiformes insidias Diaboli, & sciunt quantum ma-

P

lum

um sit excidere à gratia Dei, & quomodo occasiones irretiant, etiamno-
entes.

CAntabiles sunt, Domine, iustificationes & misericordiae tuae fidelibus
seruistis, qui in schola mansuetorum & humilium didicerunt boni-
tatem & disciplinam tuam, & post multos agones & sudores parauerunt
admirabiles victorias, tua gratia, quas celebrabunt sine fine in gloria. Tu
cognouisti pretia eorum, & perseverantem fidelitatem, qui oderunt ani-
mam suam, & continuerunt appetitum rebellem fræno timoris & deside-
rio serenissimi vultus tui. Quam è contrario tristes & lugubres sunt iniqui-
tates animæ insipienti & prauaricanti! tota die contristatus incedit pecca-
tor. non est serenitas, non pax in vijs eius. A generatione ista libera nos Do-
mine.

§. 166. *Et post pusillum rursus quò astabant dicebant Petro: Vere ex
illis es. v. 70.*

Quia ex garrula ista ancilla, adstantes paulo ante audierant propalari
Petrum quod ex illis, qui Christo adhæsissent vnus esset, ideoque circum-
stantes acrius eum intuebantur, vultum Petri, habitum, mores, gestusque,
contemplantes etiam pallorem faciei, & mutationem vultus, & timorem
quendam in gestibus, incessu & loquela, inter se primò mussitantes de Pe-
tro, demum confidenter & quasi cum asseueratione obiecerunt ei, dicen-
tes: *Vere ex illis es.* quare negas veritatem & mentiris coram nobis? cum &
lingua Galilæa & accentus te prodatur, esse Galilæum, & modus agendi
indicet te esse Iesu Nazareni Galilæi discipulum vel amicum.

O Quis hic timorem Petri enarrabit? membra frigore quodam affuso
perhorruere, timebat & tremebat, nesciens quid responderet, qua viâ,
quomodo se posset saluare è manibus ita affirmantium, nisi a que menti-
endo & negando Christum Dominum, atque illi affirmabant eum esse ip-
sius discipulum, imo amplius, illi enim affirmabant suum sermonem par-
ticula assertoria, **VERE**, Petrus per anathematizationem, id est execratio-
nem seu dirarum imprecationem ac iuramentum propositionem suam.
Nescire hominem de qua loquerentur. **O** Petre libertas arbitrij tui fecit hoc
opus tuum, & illorum; agnosco me in te & illis, Christi gratia de peccato
eduxit, & hanc spero operaturam in me, tu Pontifex & Vicarie Christi pro-
batus per omnia, intercede nunc pro me, vt sicuti sæpe, pro dolor, secutus
sum te in culpa, sic etiam sequar in agenda pœnitentia.

§. 167. *Nam & Galilæus es. v. 70.*

Galilæam intelligere est aliquanti momenti ad historiam sacram,
oppo-

opportune igitur hoc loco Geographum ago, vteliciam ex eo nomine documentum. Scito igitur Lector, qui Europam, Asiam Africanamque vtunque nosti ex Geographicis tabulis, Syriam esse Asiæ Provinciam. Hæc olim triplex censebatur, nempe 1. Trans Tigrim fluium, *Assyria*, cuius metropolis erat Ninive, siue Ninus, 2. inter Tigrim & Eufratem fluuios, *Mesopotamia*, & *Chaldea*, illius caput fuit Edessa, huius Babylon. 3. Cis Eufratem dicta est simpliciter *Syria*. Omissis duabus de sola Syria pergo dicere, eam fuisse distinctam in tres Syrias, nempe Syriam-Phœnicem, Syriam Cavam seu Cælesyriam, & Palæstinam. Phœnice fuit septentrionalior, Palæstina Australior, Cana fere interiecta fuit vtrique, inclusa grandi Montium tractui qui Libanus & Antilibanus dictus fuit, quorum interventu à vicinis eiusdem nominis Prouincijs dirimebatur. Omitto nunc etiam Syriam, Phœnicem, cuius metropolis erat Antiochia ad Orontem fluium, item Cælesyriam, cuius caput erat Damascus, & solam persequor Palæstinam, Terram promissionis, Terram sanctam, & similibus nominibus celebratam, quæ à Libano seu Antilibano ab septentrione, ab oriente Arabia Deserta, à meridie Arabia Petræa, ab occasu Mari magno id est mediterraneo inclusa fuit. Eam à Libano exoriens Jordanis fluius perfluebat vsque in Mare mortuum, iuxta Arabiam Petræam situm, & sic à fluuij huius fluento primitus in cis & ultra Iordanem distincta fuit, postea secundum fluuij eiusdem descensum aliter, nempe, in Terrarchias, illas 1. Abilinen, 2. Ituræam at Trochonitidem, 3. Galilæam, 4. Samariam atque Iudæam. Abilina præerat Lysanias, Iturææ ac Trachonitidi Philippus, Galilææ Herodes, vterque filius Hecodis Infanticidæ, Samaritæ atque Iudææ præfuerat Archelaus tertius eiusdem Herodis Filius, sed is Anno Christi XII. ineunte accusatus fratribus suis Romam vocatus, erat in exilium eiectus, & facultates eius atque ditio in Fiscum Cæsaris redacta, & per Procuratorem Pontium Pilatum, hoc tempore pro Tiberio Cæsare, administrabatur. Iam dixi rudius quid Galilæa fuerit. audiamus nunc etiam quid Galilæus sit. Indubie is Galilæus est, qui è Galilæa oriundus est, sed aliud insuper quæro, nempe gentis istius genium peculiarem. Inuenio autem in ea gente duplex encomium non satis honoratum, nempe dialecto usam non satis tersa, sed inculta, deinde studium præfidens de se & aptum ingenium rebus temere agendis atque subinde nouandis, quod recens in quodam Iuda & Theoda eluxerat non sine grandi clade tum quando Cæsar Augustus orbem describi mandauit, tum postea. Quo magis admiranda est Christi Domini nostri humanitas, in cuius arbitrio cum esset eligere & familiam ex qua nasceretur & locum vbi educaretur, prouinciam adeo diffamatam & contemptibilem

bilem elegit, & quidem urbem pessimi nominis Nazareth, de qua proverbium erat, dubitantium an ex ea posset aliquid esse boni. Sed Christus qui venerat sanare, non intendit honorari, sed potius honorare, & de vili efficere gloriosum siue eligere infirma, vt confunderet fortia, quod est proprium Saluatoris. Cum igitur Petrum Apostolum ministri Galilæum ceperunt vocare, & ille negare, facile videtur, cur ceperit ibi anathematizare, & iurare, vbi antea ei sufficiebat simpliciter negare.

Domine Deus fateor hodieque ita contingere, quod aliqua Provincia, vel merito suo, vel aliqua persuasione populari sint vel ridicula, vel magis exposita sannis & probris aliorum; similiter & vna Ciuitas vel Pagus in provincia qualibet fere sit obiectum caullationum, & iocis ac sarcasms exposita: ego tamen potius adlaborabo, vt vnumquemque hominem ex tali loco oriundum æstimem, non famæ huiusmodi libra, sed suomet pondere, quia video quod iste aculeus ex patria S. Petro successerit negotium, qui illa sentiens se stimulari ad iuramenta & anathematismos dicendos peruenit. Absit, vt huiusmodi causam alicui prudens sciens præbeam.

§. 168. *Ille autem cepit anathematizare & iurare. v. 71.*

Quales fuerint isti anathematismi illaq; iuramenta, tu scis Domine, nos ex usu hominum possumus coniectare, nempe vel se vel obijcentes sibi Galilæismum deuouisse, forte & Galilæos ex.gr. per me licet malis genius Galilæos asportet & me, si noui hominem quem vos mihi obijcitis. Sed & tibi Christe millies dico laudem, quod sicuti non horruisti Virginis vterum, sic nec Galilæismum, eo tempore satis probrosum, sed eum allumendo in quantum erat bonus, emendasti in quantum erat malus.

Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam & benedicam te in omni tempore, semper & laus tua in ore meo erit non mendacium, non turpiloquium, vaniloquium, stultiloquium, non iurgium non iuramentum, nec anathematismos nisi peccatis.

§. 169. *Quia nescio hominem istum quem dicitis.*

Quid loqueris Petre? delirasne? vel præsens tibi es? vbi conscientia? vbi intellectus tuus? vbi veritatis testimonium quod de homine hoc pronuntiasti ipso te interrogante: *Quem dicunt homines esse filium hominis, tu omnium nomine Apostolorum, vt Caput Ecclesiæ futurus respondisti & declarasti eum eundem hominem, non esse Ioannem Baptistam. Non Eliam, non Ieremiam, aut ynum ex Prophetis, sed esse Christum filium Dei viui,*

Quæ

Quomodo ergo modo eum ignoras? cur non talem declaras, amplius, sed è contrario negas eum nosse, quem modo adhuc sequeris, cuius defendendi gratia paulo ante in horto extendisti gladium, & seruum Pontificis vulnerasti, cœnam & Pascha præparasti, cum eo in mensa comedisti? Quis ante institutionem venerabilis Sacramenti lauit tibi pedes eosque exosculatus est, nonne hic homo? Quis tibi portexit sub specie panis, & vini corpus & sanguinem eius? nonne hic ipse homo. Quis tibi dixit & prædixit; *Petre, orauit pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos?* Et, *antequam Gallus cantet ter me es negaturus hac nocte?* nonne hic homo! quomodo ergo dicis? *Quia nescio hunc hominem.* O Petre si non est hoc mentiri nescio quid est mentiri. Nam falli te, siue putare quod non noueris illum, dicere non audeo.

Ecce, Medici, ait August. completa est prædictio. ægroti conuicta præsumptio: non enim factum est, quod æger prædixerat: *animam meam ponam pro te*, sed factum est, quod ille prædixerat: *ter me negabis.* Euangelistæ concorditer negationem Petri scripserunt dicit S. Chrylost. non discipulum accusantes, sed nos erudire volentes, quantum malum sit, non totum Deo concedere, sed in semetipso confidere illa etiam de causa minutim hæc esse conscripta, vt legentes intelligant quales ante Christi resurrectionem & aduentum Spiritus Sancti Apostoli fuerunt, & quales posteaquam virtutem ex alto acceperunt, effecti sint. Inuictos enim animo, vere diuinis homines illos fuisse constat, antea verò, quam imperium mortis à Salvatore destructum esset, terribilis erat illis moriendi formido, nam cum Spiritum adhuc non haberent, nec superna gratia erant roborati, humana pusillanimitate detenti, metu patiendi vt homines frangebantur. Et quemadmodum ferrum, quamuis per se durum sit, lapidibus tamen facile retunditur, nisi liquore quodam firmetur, sic animus hominis, etiamsi virtutis amore cuncta pericula speret se iactet, asperitate tamen certaminum vincitur, nisi sancti Spiritus gratia sit roboratus. Imbecilliores igitur antea, vt homines, Apostoli fuerant; sed Spiritus gratia infirmitatem postea humanam superatunt, ad inuictum animum robore spiritus confirmati. Infirmitas ergo discipulorum ad gloriam Dei conscripta est, qui paruitatem nostræ naturæ ad inexpugnabile turrem erexit robur, Erit autem, quod vni sanctorum accidit, maxime nobis consolationi. Hinc enim discimus nulla nos desperatione affici debere, fragilitatem humanam considerantes; sed confidere potius debemus, credentes robur ab illo nos habituros, qui diligentibus se neruos ad virtutem & vires largitur.

O Bone Iesu quanto cum dolore vidisti illam electi discipuli tui fragilitatem & malitiam, qua sicut homines timidi mendacia mendacius cumulabat, exiguam hominum indignationem, plus quam te Deum, timens, quæ eo maior erat & detestanda magis quo maiora dona hæctenus à te perceperat: merebatur ergo vt in puncto ad infernum deturbaretur, sed tua misericordia est seruatus. At quid de alio iudico? de me ipso iudicabo. qui post tot & tanta, à te accepta, dona, post tot instructiones, & postquam omnia illa, quæ Petro & alijs sanctis acciderunt legi & cognoui tam facile te mentiendo adhuc subinde nego, si non verbo saltem opere. Et quidem Petrus timore mortis, & ego timore exiguæ forte hominum offensæ, vel complacentiæ, aut intuitu leuis alicuius commodi aut delectationis. Mirarer quod tam subito Petrus post tot dona & promissa te negasset, nisi Euangelium testaretur, sed & nisi experientia indies nos conuinceret (prò dolor) ægre de nobis tantum fragilitatem crederemus.

§. 170. *Et statim gallus iterum cantauit. v. 72.*

Ita vt Petrus cum cantum iam audiret bene, & perciperet animo, recordareturq; Christi verborum, quæ ei incredulo prædixerat. *priusquã gallus caneret me es negaturus*, inde moueretur ad contritionem, pœnitentiam ageret, & reconciliaret se iterum Deo, auilam & malam societatem fugiendo, addit autem Euangelista, & *statim gallus cantauit*, insinuando vt primum iurando abnegasset Christum, statim & sine mora gallum cantasse quo cantumoueretur ad amplius non peccandum, sed recantandum verba negationis nec persistendum in peccato suo sed fugiendum, dolendum, pœnitentiam agendum, agnosceretque veritatem doctrinæ Magistri sui, bonitatem, & clementiam, nolentis eum perdere, vt in ijs peccatis moreretur, sed ad omnium peccatorum consolationem & exemplum pœnitentiam ageret, & saluaretur.

§. 171. *Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Iesus. v. 72.*

Quæri solet, cur Christus permisit Petrum sic turpiter cadere, quæror inuenio causas, *primo* quidem ad nostram instructionem, vt scilicet nullus amodo præsumat, de propria iustitia & virtute, quantacunque virtute aut sanctitate polleat, præferri cum viderit talem ac tantum virum sic cecidisse. 2. vt nullus quantumcunque malus aut peccator existat, desperet de venia, animaduertens quod Petrus post tantum flagitium suum Christo factus Ianitor & clauicalarius regni cælestis, atque caput ac Princeps fratrum suorum. 3. autem vt sciret postquam esset alijs Prælati comparati cæteris peccantibus: vnde S. Greg. *Considerandum* inquit, *nobis est, cum*
Chri-

Christus Petrum, quem Ecclesia sua proficere in pastorem disposuerat, ancilla vocem pertimescere & se ipsum negare permisit. Sed hoc inquit factum est magna pietatis dispensatione, ut qui futurus erat Pastor Ecclesie, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. 4. Hoc idem permisit Christus ad utilitatem ipsiusmet Petri, quamuis per accidens, ut scilicet humilior atque cautior resurgeret, qui prius incaute & arroganter Christo promiserat dicens, *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Merito ergo dicere poterat Petrus post ruinam illud psalmi: *priusquam humiliarer ego deliqui.* Audiens igitur galli cantum ad extra auribus corporeis, & mente reuoluens intus quid sit significaret, subito tactus dolore intellexit hunc esse Domini sermonem, & compleri quam ei prædixerat Iesus sui negatione, & perterritus cogitabat de magna Domini sui in se misericordia, & cura, qua præsens aperiebat aures mentis Petri, ut intelligeret, quid sibi vellet hic cantus. O felix cantus, felix auditus quo mouetur peccator, & redit ad cor, reuocatur à via deuia & aspera, ad vias planas & rectas, à via perditionis ad viam securitatis, à culpa ad gratiam.

Qui in æternum dominaris & solus potes omnia, Deus cæli & terræ moderator, ad cuius nutum omnes creaturæ contremiscunt, & cæli cardines nutant ego miser de limo effectus vel potius limus sordidus, cum tremore & trepidatione ad thronum tuæ Maiestatis venio, recorder cum Petro peccatorum meorum, tam grauium, quam multorum. agnosco & confiteor imbecillitatem meam, scio quod nihil sum: imò quod abominatio mera & horror existam coram tuo conspectu, si tua gratia & misericordia destituar, sine te nihil boni cogito, sine te nihil boni facio, sine te sum vas quoddam deperditum. non possum saluari sine te, in tua manu est omnis mea salus, recorder igitur iugiter sine obliuione tui, tuorum mandatorum & verborum, ut ea exequar, sicut oportet & expedit animæ meæ, ut sum & sedulus & fidelis. Amen.

§. 172. *Priusquam gallus cantet ter me negabis.*

Et hæc sunt verba veritatis tuæ Domine, quæ nec Petrus nec alij discipuli credere voluerunt, quo ad experientia fugæ suæ & scandali didicerunt cum detrimento animarum suarum: nunc autem quam magni æstimat pretiosissima verba tua Domine Petrus, cum eorum recordatur. Certo animadvertens te & infallibilem veritatem, & infinitam sapientiam esse neque posse fallere nec falli facile æstimati potest, ex nobis, qui deprehensa aliqua valde clara veritate mirabiliter intus ædificamur, ita ut non videatur seruis Dei vlla mundi doctrina comparabilis cum disciplina & doctrina quæ de cælo est. quando attentis auribus & cordibus audiunt verba dulcissima Euangelij, mirantur & inflammantur, & friget illis omne quod

quod in mundo altum & honoratum est. Certe bene ostendebat hoc ille, qui timens separari à te, dicebat: *Quo ibimus verba aeterna vita habes.* Infelices vero illi erant qui dixerunt, *durus est hic sermo.*

O Deus, cupio & ego acquiescere in verbis tuis, cupio illorum veritate perfundi, imò confundi, quando male egi. tunc, tunc ea mihi inculca, tunc dic mihi: *Hoom meus, quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi.* Hæc cine reddis Domino Deo tuo Homo stulte & insipiens! &c.

§. 173. *Et capit flere. v. 72:*

Tactus galli cantu & recordatione verborum Christi Petrus, agnos- cens, quam certo eueniant, quæ Christus prædixerat hac ipsa nocte euen- tura capit flere: maluit enim ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quam grauaretur dissimulando vel negando, & ideo fleuit, non est iam quærere: quare fleuit, quia culpa obrepit grauis res est culpa, Ego soleo flere si culpæ mihi occasio desit, hoc est, si me non possum vindicare: si non obtineo quod improbe cupio. Petrus doluit & fleuit, quia errauit. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit, lachrymas eius lego, excusationem non lego, sed quod defendi non potest, abluí potest, lauent lachrymæ delictum, quod pudor est voce confiteri. Et veniæ fletus consulunt & verecundiæ lachrymæ sine horrore culpam loquuntur. Lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. ante flendum est; postea precandum, Dominus Iesus, inquit Magnns Leo, qui intra Pontificale consilium solo corpore tenebatur trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauertis animû, mox & respexit, & erexit & in fletus pœnitudinis incitauit, Felices, sanctæ Apostole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuerunt baptismatis. Adfuit enim dextera Domini Iesu Christi, quæ labentem te, priusquam deijcereris exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam sed constantiam fuisse turbatam, Abundauit fletus, vbi non defecit affectus; & fons charitatis lauit verba formidinis, nec tardatum est remedium abolitionis; vbi non fuit iudicium voluntatis.

A H quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontes lachrymarum, vt libeat mihi, ô Petre, tecum flere amare, ob multa mea peccata & graua, in te solum turbata fuit dilectio, mansit fides, in me sæpe & diu- tius abolentur; in te solum modo, in me sæpe extincta est. In ore solum, ego corde

corde negavi Creatorem frequentius dum creaturas eius ipsomet dilexi ardentius, & necdum fluunt in me lachrymæ, etsi petra cordis mei multoties percutiatur: Iesu labentem me respice, & videndo corrige, vt foras exeam, & solitudinem quæram, malum consortium deseram, naturæ exuam corruptionem, antiquas relinquam consuetudines, & desiteam noctes & dies peccata mea: sed heu mihi! infelix anima in tantis peccatis, quid primum plorabo? quid primum plangam? Cecidi grauiter, corruui miserabiliter: quod bene viuerem vltro promisi, quod sum pollicitus raro seruauui, sæpe ad peccatum meum redij, nunquam perfectè mores mutauui. Ego multis causa malorum fui, propter me multorum proposita bona euacuata sunt. Quid faciam cum venerit tremendi formido iudicij? Quid respondebo? flete me cælum & terra. luge me omnis creatura, plorate me omnia elementa, orate pro me ad Dominum viri sancti, obsecrate pro me plebs omnis sanctorum: si forte recipiat me Deus, si forte deleat peccatum meum, si forte præster mihi misericordiam.

CAP. XV.

§. 174. *Et confestim mane consilium facientes Summi Sacerdotes cum Senioribus, & Scribis, & vniuerso concilio. v. 1.*

Et confestim, hoc est, cum festinatione, & sine mora accurrerunt mane ad consilium malignum Sacerdotes Summi, cum Senioribus & Scribis, vt Iesum quem dolo tenebant, iterum iudicarent, iudicatum traderent Pontio Pilato Præsidi, vt ab illo occideretur sine nouo processu a lioue examine quam suo, & suis testimonijs. vnde sicut tota nocte ministri vigilabant apud Iesum vt etiam omni momento varijs & nouis semper molestijs, vexationibus, ignominijs, illusionibus verbo & facto grauarent, ne quietem vllam ei concederent: ita Magistri insomnem duxere illam noctem, vt quidam putant, malitiose studentes, quibus argumentis etiam sub specie veri possent innocentem Iesum condemnare, ei detrachere apud Præsidem, vt fidem ipsorum dictis simpliciter adhiberet, atque eum sine vltiore inquisitione iustitiæ vti reum crucifigeret, & ita fecerunt.

O Congregatio iniqua, o peruersum concilium, quod sua acta reuideri recusat, dicens, contra omnia quæ ratio recta remonstrat, hoc solum: hoc satis discussum est à viris sapientibus &c. O inuidia, quo non detrudis homines? Christus Deus, ipse profitendo, veritatem tantopore testimonijs scripturæ & miraculis probatam, quæritur ad mortem qui author est vitæ & solus sine peccato, & quidem confestim, mane ante lucem à Pontificibus, Senioribus, Scribis, doctis & indoctis, vt destruant veritatem, quid mi-

rum

rum si non manserint in luce fidei, veritatis scripturarum, & Scientiarum Dei, quorum veloces pedes ad effundendum sanguinem. In concilium eorum non veniat anima mea.

§. 175. Vincientes Iesum. v. 1.

Vel per se, quod est absurdissimum, vel per carnifices, & ministros, arctius quidem quam antea circa collum, catena & manus funibus, & corpus cordis, & sic ad iter versus Pilati pratorium omnia parantur. Nihil hic dubito quin maiorem Christo intulerint dolorem alligando, quam opuserat ad vincitum in potestate, tenendum, nam odium graue hoc eis suggererat. Erat igitur & ignominiosa & dolorosa ista alligatio, ignominia, quia ingenuum & liberum vinciri teste Cicerone 7. in Verrem. Act. turpe est, & scelus vincire ciuem Romanum; quanto magis Christum Dei filium, qui ante quinque dies triumphator descenderat in Hierusalem, acclamantibus pueris; *O sanna in excelsis, benedictus, qui venit in nomine Domini*, nunc vinciri, eorum corpus, manus, collum vti virum iniquum, & reum mortis.

O Deus Deorum quantum tunc derogatum fuit libertati & potentie tuae, sed omnia propter electos. Ego te vincitum contemplan, mihi Iesu, rubore suffundor & dolore, suboro, quia video quod nimis libere vagati sint primi nostri parentes & nos, nimisque licenter per illiotta sententia, tuos euagari permiserimus: tuque ideo Domina vinculis constringeris, funes peccatorum nostrorum complexi sint te. Huc nimirum traximus nos, te funiculis vanitatis & quasi vinculum plaustrum tibi peccatum nostrum. Veruntamen consolamini, consolamini peccatores filij Adæ & Eua, gementes sub onere catenarum, & tu quoque captiua filia Sion: Quia mons gratia, mons oliueti vicinus est, *Præcipitabit iam, iam, Dominus iste vincit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos. & telam quam ordiuit est super omnes nationes. Vincula ista posterioris Adæ prioris vincula deuorabunt, confumentque & gaudebitis in libertate, quia Christus vos liberabit.*

§. 176. Duxerunt. v. 1.

Plane peruersus iste modus est, mundi peruersi, nam cæci hic cuncta videntem ducunt, iumenta pastorem suum agunt, infantes docent sapientiam ipsam, & serui tanquam quis saturnalibus imperant Domino vniuersorum, pessimus ordo, in hoc tamen mire splendidi sibi videbantur omnes qui in eo agebant personam.

O Deus qualia sunt iudicia mundi, quam procul distant à Iudicijs tuis & veris, Obsecro te me sinas in talem insaniam decidere vt velim te ducere.

ducere ad appetitiones meas, ad desideria mea trahere absit à religiosis, & laicis, ab Ecclesiasticis ut non velint suos superiores quos sequi debebant ducitare, reformare, docere, & dicere. nimis hoc est turpe. Horret tacto & cogitatio.

§. 117. *Et tradiderunt Pilato. v. 1.*

Summi Sacerdotes, & Principes, & Seniores populi Iudæorum, & Ministri, & milites & Garnifices, scitis quid vos tradatis? & cui tradatis? Ille quem vos modo traditis est Messias, est Saluator vobis promissus, & tam diu expectatus, ex Patriarchis & Prophetis, & vos eum traditis. Scitis ne quid sit hoc tradere? est abdicare se non solum iure ad rem sed etiam iure in re seu possessione. Ergo Iesum non amplius vultis habere, vultis ut alij gentiles nempe eum habeant, vos carcat? Certè hoc re ipsa vultis; alioquin retineretis, & non traderetis. Plane vos omnes infanditis. Ecce effectus abdicati & disrupti hac nocte Sacerdotij vestri, pro custodibus facti estis traditores. Iudas apostata vos seduxit, iste traditor se vobis iungens fecit vos pariter traditores, modicum fermentum, ecce, quantam massam corruptit!

O Christiani, quando ad vos in posterum venit apostata cautè agite, nam Iudæi recipientes Apostatam discipulum Christi, & communicantes cum eo, ipsimet omnes facti sunt traditores. Et quia yarj sunt desertores seu apostatae apud Grammaticos, nempe à bono desciscientes itehta à malo: ut discrimen noscatis videte an à Christi disciplina desciverint. Disciplina Christi discipulorum est relinquere patrem matrem, uxorem, filios, agros propter nomen eius. si apostata ista quærit iam à Christi disciplina defecit. Ecce signum unde noscatis apostatam verum, & discernatis à nominali.

§. 178. *Et interrogavit eum Pilatus. v. 2.*

Marcus scriptor transfiliuit cæremonias Iudæorum & Pilati in congressu, item verba traditorum & Receptoris, contentus verbo, Tradiderunt, in quo omnia illa conclusit, & ad rem iuit, nempe Iudicium traditi Christi, quomodo hoc Pilatus exercuit, functus est officio boni Iudicis & discreti, non statim condemnando Christum ad accusationem & traditionem Principum Iudæorum, & Seniorum populi, ne inauditum reum & non confessatum male perderet, sed interrogavit eum, acute ipse Iudex ex quo posset eum breviter deprehendere, & vel condemnare reum, vel immunem à crimine dimittere.

¶

Faxit Deus vt tales hodie Iudices inueniantur inter Christianos, qui non ad recommendationem Principum, & Seniorum, siue Magnatum aut amicorum sententiam ferant, nec causas sæpe iustas pro iniustis decernant, reum innocentem condemnent, vel prece vel pretio non interrogantes aut examinantes ad trutinam omnes circumstantias, & rei veritatem inquirentes: Væ illis, væ iudici illi per quem innocens sanguis damnatur, iustitia non respicitur, apud quem gratia, fauor, nummi in pretio sunt non æquitas, non scientia, diligentia, conscientia in reuidendis actis, in examinatione veritatis & testium, allegatis & probatis. Oremus ergo pro vtrique Magistratu Deum tam Ecclesiastico quam politico vt Deus det ipsis intelligentiam rerum controuersarum, & conscientiam dicentes.

Misericors Deus, cœlestis pater, in cuius manu est omnis terrena potestas, & Magistratus per te, constitutus ad supplicium malorum & defensionem bonorum, in cuius potenti dextera sita sunt omnia iura & leges imperiorum: Te supplices corde deuoto oramus pro magistratu nostro Ecclesiastico & seculari, vna cum ijs qui sunt vtrique dignitati à consilio, & qui rempublicam administrant, vt gladium tam spiritualem quam secularem ipsis per te commissum in fide vera & timore tuo recte gerant, eoque pro tua voluntate & iussu vtantur: obumbret eos virtus & sapientia altissimi, illuminet & confirmet eos in amore Dei, ipsa diuina gratia. Da illis, ô Domine, sapientiam & intellectum, ne causas litigantium apud se per annos & menses, suspendant, vel volendo emungere pecuniam vel nolendo partem iure damnandam offendere. Concede pacatam gubernationem, vt omnes subditos in veritate fidei, dilectione & iustitia, quæ tibi sit, cordi, regant & dicto audientes conseruent: proroga ipsis dies vitæ suæ & annos multos largire, vt prospera & laudata ipsorum functione, nomen tuum sanctificetur & laudetur in omne æuum, & subditi miseri saltem hoc habeant solatij quod causæ eorum terminentur.

§. 179. Tu es Rex Iudæorum? v. 2.

Delatus fuerat pius Dominus à Principibus & Senioribus populi apud Pilatum inter alia quod se Regem diceret: interrogat ergo eum acurè Pilatus non solum an se Regem dixisset (quia hoc parum erat & sæpissime ioculariter fieri & dici inter pueros æque ac seniores contingit) sed interrogat, an vere rex esset & quidem Iudæorum, quia si Iudæorum Rex esset vere, oporteret eum vel eorum qui essent, in Abilina, vel Ituræa, ac Trachonitide vel Galilæa, vel Samaria aut Iudæa Regem esse vel certe disperforum in alijs partibus mundi ex quo responso tota accusatio facile erat patefacienda. Ego

Ego hic non possum omittere quin admirer tersum Iudicium & acumen Pilati, qui ambages omnes, ita pulchre præcidit & Actoribus & reo, ut ad substantiam terminandæ quæstionis tanquam ad fundum penetrans, ibi quæstionis ponat initium, ubi apud alios leguleos & semidoctos Aduocatos vel Iudices erat habitura exitum. Laudo te Romana Respublica quæ tales habuisti viros intelligentes sapientiam humanam. Felix eras cum tales habebas quales nos sæpe nunc inter Rectores urbium, Pagorum & Prouinciarum desideramus. Non miror iam te à Christo esse electam, in qua suum Euangelium, non solum prædicaretur, sed Vicarius eius sedem æternam ex ordinatione Petri Apostoli obtineret. Salue Roma, salue Mundi Domina, sedes Vicarij Christi, vires Iudicij vniuerso mundo in numero tu dedisti.

§. 180. *At ille respondens ait illi tu dicis. v. 2.*

Sicut Pilatus sincere & non ficto animo quærebat veritatem à Christo sibi dici an Rex esset, ita etiam Christus Dominus cum veritate sincere ei respondit, dicens: Tu dicis nempe verba tua, interrogatio tono prolata, si effers pronuntiatorio, seu definitorio tono eadem, phrasi, & verbis quæsiuisti & respondisti, qua in forma loquendi pulchra & Christo Domino propria, credo admiratus fuit Pilatus Romanus, quantumuis paucorum verborum, admirandam ipsis Romanis Breuiloquentiam, & consequenter prudentiam, quoniam tanto solent esse homines verbosiores, quanto minus sapiunt, iuxta illud, Vasa vacua plurimum tinniunt.

ADoro te Domine Deus meus, & in te suspicio, non solum Spartanam breuitatem in sermone, sed & Romanam, imo Romana ipsa maiorem. Huius tuæ breuiloquentiæ, sed copiosæ & abundantis sapientiæ, æmula fuit mater tua S. Maria, septies illam locutam esse reperio, sed o Deus quam prudenter, quam breuiter extra laudes Dei, Eandem SS. tui plurimi imitati semper studuerunt, nemo non magnificat. Inde ordinum factorum silentium, apud aliquos perperuum, apud alios certis locis & temporibus definitum, fuit spiritu S. suggerente enatum, ut non solum caueant vana, & mendacia colloquia, sed & non necessaria.

§. 181. *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. v. 3.*

Multa breuitatis amans, facile intelligenda ex paucis, Sacer scriptor transiit, inter quæ est, quid Pilatus audita ingenua & valde prudenti confessione Christi egerit, & Iudæis dixerit, seu responderit, & illi vicissim retorserint, & Pilatus ad specificandos accusationis articulos adegerit. Post

Q 3

hæc

hæc enim sequitur, quid scribit, & accusabant eum in multis nimirum primis suo adventu accusauerant in uno nimirum quod se Regem Iudæorum esse se dixisset, nunc in pluribus & alijs diuersis: prouiderant enim sibi caute ut gradatim posset crescere accusationis suæ vis, ita ut animus Pilati, ciuilitate sat iusti, si vno accusationis articulo non concitaretur, tandem multis, vel plurimis auditis in partem accusantium pertraheretur. Hæc multa poterant esse 1. præter Regni affectationem seductio turbarum, 2. Galilæismus, 3. Commercium cum Dæmone. 4. Comminatio destruendi templi. 5. Vana iactatio de reedificando per magicam artem. 6. Aduersus Cæsarem machinatio in prohibendis tributis. 7. Comportationes & commensationes. 8. Samaritanismus. 9. Ars magica in eijscisdem demonijs. 10. Venditatio sui pro Dei Filio. 11. Doctrina contra Moysem, & Traditionem maiorum. 12. Sabbathi violatio. &c. Hæc satis multa erant, quæ adstante Domino, & audiente Pilato inculcabant.

DEUS meus, quam vāfrum est humanum ingenium, quando in aliquo collineauit, & firmiter obtinere intendit! quam astutus modis id perurgere nouit! quomodo mentiri, captiose loqui, opportunos aditus obseruare potest. Mirum est videre, Sed sæpe miserum, Idcirco damno claudestinos modos & machinationes contra iustitiam & veritatem, & propono me ab illis conseruare in vita mea. Adiuua me Deus meus.

§. 182. *Pilatus autem rursus interrogabat eum dicens. v. 4.*

Non statim credit iudicaturus Pilatus, sed reo aurem vnam seruat, iterum interrogat.

Dilce Iudex, dilce Consul, dilce Prætor ab Ethnicis Christiane, non vntantum interrogatione reum vel iudicare vel condemnare, sed plures adhibere vt ad omnes omnino interrogationes & accusationes distincte respondeatur, donec veritas pateat. Quære de circumstantijs, ne innocens pereat, reus saluetur: qui domum edificaturus fundamenta locat, aut arborem plantaturus terram fodit, nec arenam molli, nec duro lapidi parcat, vt solum excipiet, quo aut moli iacienda aut arbori quæ sursum enasci debet satis sit, alioquin ruet domus, arestet arbor cum architecti, colonie de decore & damno. Qui autem Iudex est ad instar agricolæ, ad instar architecti iustitiæ arborem domumque ponere debet, obuia est arena? eruat, impingit in saxum? euellatur ita vt nulla ratione potentis faciem extimescat, minoris vilitatem conculcet, sed vt Pilatus fecit, veritatem eruat. Ille interrogat sapius Christum, monet, hortatur vt respondeat, & se defendat contra accusatores, ne insons diiudicetur, & pereat, sed verè iustitia admittit.

administraretur. iustitia enim virtus est, sine qua republica haud diu stare vel administrari potest. Si hanc Iudex deserit, si Responnegligit, cito aderit, ultor Deus, qui ius dicat, & plectar.

§. 183. Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. v. 4.

Urget, instar pro facienda iustitia Pilatus, diiudicans apud se Christum falso accusari à Principibus Iudae & ex invidia; ut quia Propheta esset & vir bonus & scientia & virtute admirabilis, replicaret coram se, & argumenta Principum diuelleret, sicut facile poterat fieri, & iam alias etiam forte non ignorante Iudice factum fuerat.

Bene fecisti Pilate, quod haec reum vristi ad se expurgandum. Hoc deest & Clementiam Magistratus & Principis, malle seruare, quam perdere; nulli tamen reo praesertim Reip. noxio parcere.

§. 184. Vide in quantis te accusant. v. 4.

Quasi diceret Pilatus, vide, ne si nihil respondeas videaris conuictus, & silentio tuo confiteri, vera esse quae dicunt aduersarij tui. Habemus enim Regulam iuris: *Qui tacet consentire videtur.* Si namque tuam causam deseris, quis eam fouebit? ego vtramque partem audire teneor, & secundum allegata dare sententiam, nisi allegata negentur. Sed tunc secundum probata, per viam probationum procedo. Satis multa audiisti. obijci, erit haud dubie aliquid quod debeat negari. Cum ipsemet aduertam, quaedam esse capita accusationis inter se non satis conformia, nec verisimilia. Sed ego Aduocatum agere non debeo, dare possum, ecce te ipsum Aduocatum tuum creo, loquere in causa tua ipsemet, utinosti melius audieris, & ius dicetur, de quo desperare non debes, cum causam desperandi de obtinendo iure tuo non dederim tibi. Talia Pilatus paucis verbis ore, sed habitus & vultus humanitate fufus loquebatur. Habet enim etiam habitus & vultus prolixos sermones.

Deus meus, obsecro te, da gratiam hanc iudicantibus terram, ut sint & iustitiae tenaces, & simul memores humanitatis, maxime in eos, qui ob inopiam, aduocatis carent, non quod omnes inopes contestim sint iusti & absoluedi, sed quod saltem sint sustentandi, donec eorum causa penetretur, an reos se vere fateantur, ex conscientia, an ex solo metu iudicium suam desperationem iustitiae silentio tegant. Prudentissime siquidem silentetiam in iudicio, qui se sciunt uti. Iudice alienato, nisi forte possint aliqua spe appellare, ad altius tribunal. Ego pro mea parte malo sic vnumquemque se gerere, ut iudicio non egeat, aut si iudicio uti compellar, malo

transire

transigere, quam ad tribunalia venire, vbi raro etiam victor sine damno vel conscientia vel burla recedit.

§. 185. *Iesus autem amplius nihil respondit. v. 5.*

Quia iam secum actum esse videbat, iam per Pontifices & Principes Iudaeorum condemnatum, & traditum Iudici criminali ad exequendum cui animam & vires ad se liberandum, etiamsi innocens apparuisset, deesse videbat. Praesertim cum iam tempus à patre constitutum adesset liberationis generis humani à seruitute diabolica & morte aeterna, per mortem filij sui primogeniti quod tempus & ipse filius desiderio desiderauerat à saeculis ad quod etiam in horto patri suam obtulerat voluntatē; ideoque ne fors per eius responsionē ad accusationes aduersariorū destinata Iudaeorum malitia cresceret, aut impediretur vel differretur, impendens mors sua & salus totius mundi, noluit amplius loqui, dein quia calumniarum antedictarum falsitas satis erat manifesta, etiam apud ipsum Praesidem, noluit eas refellere, sed silentio praeterire, vt castigaret in se vanas excusationes primorum parentum & nostras, qui errores nostros veros semper palliare & excusare solemus raro confiteri: Praeterea nouerat bene, etiamsi vellet contradicere accusationibus, Iudaeos non acquieturos, qui ipsum occisum volebant per fas nefasque quomodo pluribus alijs fecerunt, in quorum necem coniurarunt sic, vt si Iudex eos damnare recusaret, ipsi à tribunali absolutum mactarent. Ecce, hoc animo omne genus illusionum & iniuriarum Dominus tulit; & non aperuit os suum: Hinc discamus tres esse in agendo fortitudinis gradus. Primus enim est filere & pati, quo salubriter utemur cum nostra res agitur. Secundus est, contemptis periculis agere quae agenda sunt ac dicere quae dicenda. Tertius est, vbi ea quae agenda sunt egeris & quae dicenda sunt dixeris multa & graua ab iratis & offensis hominibus perire. Huiusmodi autem fortitudinis exempla nobis suppeditat Christi Passio abundanter.

Discamus nunc ex eodem Magistro caute agere, nihil enim magis in vita necessarium errantibus inter tot laqueos, à quibus euadere reuera est instar prodigij. Docuerat nos Dominus caute agere dicens: *Cauete, ab hominibus*, non ab hostibus publicis, aut à priuatis aduersarijs tantum: non ab aemulis & riuilibus, non à Competitoribus, inter quos insidiae esse possunt, sed ab amicis, à consanguineis, à fratribus, à filijs, à parentibus, vno verbo ab hominibus, sed & quia tu ipse homo es, *caue à teipso*, admirabilis sapientiae praecipuum! nam natura nihil nos minus solebamus, quam ab hominibus, vulgo cauere, solum tunc cum eos vel odium vel rario alia suspectos

suspectos nobis reddidisset. Cauebamus nobis bene à feris, à tempestatibus, à procellis, à cæli marisque iniurijs, à subitis casibus, at ab hominibus homini cauendum esse natura nos non docebat, & nemo putabat. Veram sapientissimus Dominus, cætera negligens, ab hominibus cauere nos iuber: illa quippe alia corporibus nocent, hi animæ simul & corpori insidiantur. Magistro consonat Apostolus *Frates*, inquit, *videte quomodo caute ambuletis*. Ac si diceret, nolite putare, quod in vrbe pacata agatis, vobis iam omnia esse secura. Attendite vestris gressibus, & ponite corda vestra super vias vestras. Nolo vos pedibus, sed cordibus ingredi, nec tantum considerare quo loco pedem figatis; sed postquam eum eleuaueritis quale vestigium relinquatis. Hoc est, non id tantum vobis spectandum est, an quod facitis, ritè & ex Dei lege faciatis, sed quale vestigium deseratis, quale exemplum, qualem famam? an ijs, qui vos insectari velint, vestigia relinquatis, quibus vos insectentur. Cauendi igitur vobis prima lex & medium esto *Silentium*. Cum primum enim Dominus à Caipha ad Pilatum, à domestico & noto homine ad Ethnicum & ignotum deductus est, silere constituit & docuit: non quod ipse deessent verba, quæ sapientissimè proferret, nequaquam: sed vt nos doceret, cum ad ignotos homines aut res inexploratas venitur, nihil esse temere pronuntiandum, continendam esse vocem, cultum quasi in gutture constituendum esse, & sic, si fieri possit, animi lentitiam coercendam, ne erumpat.

O Iesu sapientia Patris & æterna veritas, sicuti falso accusatus in varijs & multis, coram Pilato Præsidente, ab omni statu hominū os tamen noluit aperire ad te defendendū, quia tua solum res agebatur, è contra verò, cum patris tui honor & gloria defendi debebant locutus es semper: ita concede mihi famulo tuo hanc gratiam, propter honorem nominis tui, omnium hominum calumnias in me & peccata tolerare patienter: tui vero honorem & gloriam quærere vbique & defendere semper cum omni perpeffione iniuriarum ad mortem vsque libenter.

§. 186. Ita vt miraretur Pilatus. v. 5.

Silente Christo ad omnes accusationes & vociferationes meritò Pilatus mirabatur, quia videbat rem qualem non viderat in vita sua, neque Romæ neque in aliqua Provincia. quia ad accusationes veras & iustissimas tacere est raræ auis instat, tacere autem ad falsas accusationes & pugnantes, id plane miraculum est. Et hoc nobis Dominus parauit in passione exemplum. Silentij & patientiæ clypeo uti, dum responso non speramus proficere. Poterat ipsos confundere sicut & accusatores adulte-

R

ræ,

ra, dum ipso scribente in terra digito suo omnes in fugam versi sunt, sed mortem lubens subibat, & innocentiam suam satis iam per Iudicem detectam, non necesse habet loqui. quare aduerte quod decursu passionis suae modo silet Christus, modo loquitur. Opportune solum loquitur, ne videatur non habere quo se defendat & ne Iudices aut accusatores ignorantiam sceleris suo praetexere possint. tacet, quando causae suae bonitas manifesta est, ne videatur mortis quaerere effugium. Audi Sanctum Ambrosium in Luc. c. 23. *Accusatur Dominus & tacet, & bene tacet qui defensione non indiget. Ambians defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. quid timeat cum non ambiat salutem. Salus omnium suam prodit, ut acquirat omnium sed quid de Deo loquor? Susanna tacuit & vicit, melior enim causa, qua non defenditur & probatur.* Hinc admiratus est Pilatus eius silentium, eius mansuetudinem contra accusatores constantiam, mortis contemptum, eo quod homo innocens prudens ac discretus, qui tuos poterat confundere accusatores, iam in periculo constitutus, sileret, cum inanes calumnias refellere posset, & se periculo eximere, ipso Iudice libertatem loquendi dante & beneuolum se exhibente. Sed & hoc eius silentium inquit Athanasius. etiam Iudici Ethnico persuasit falsa esse, quae factiosi Iudaeorum Principes contra eum proferebant. Quocirca varia meditatus est media ad eam liberandum mouitque ad id multum conatum.

O Domine quam fortiter omnia tibi illata pertulisti! quanto pere te ipsum abnegasti propter nos! ut nos abnegantes nos ipsos tuo exemplo peccati occasionem deuitaremus, in silentio vinceremus, cuncta quae nobis aduersantur. Tu omnia tibi euentura praesciisti, ac proinde nihil incastum perferre voluisti. iam enim tempus aduenerat secundum propositum diuinae voluntatis ut pati & mori te oporteret pro nobis omnibus, & ne dimittereris siluisti, sed & quod gloriam patris caelestis concernebat recitare noluisti. Eia Domine da mihi & hanc gratiam quaerendi & defendendi gloriam patris mei Caelestis, & mei confusionem permittendi, & in omnibus tuo exemplo habere patientiam, ut in omnibus meis difficultatibus ad patrem caelestem aspiciam, & tuum exemplum sequar, & cuncta de manu tua accipiam, quaecumque etiam mihi eueniant, quo in omni aduersitate semper pacatus & tranquillus inueniar.

§. 187. *Per diem autem festum solebat dimittere illius unum ex vinculis quemcumque volebant. v. 6.*

Paschae festum intelligit, in eo solebat dimittere illis praeses unum ex vinculis. Hoc autem fiebat quotannis non ex aliquo Scripturae sacrae textu de-

depromptum, ut volunt Reformatores prætensi, sed naturalis luminis bono dictamine & pio affectu per Maiores inducto, ac Traditione bona conseruato, in memoriam, quod in nocte paschæ Angelus Domini saluauit Hæbreos percutiens omnia primogenita Ægyptiorum ab homine vsq; ad pecus, Hæbreos autem immunes dimisit, in memoriam ergo prædictæ liberationis populus solebat petere à Præside vt vnum criminofum in festo Paschæ liberaret, & vita donaret, & hanc consuetudinem approbauerat Romanus Imperator, ex quo Iudæos in suum Dominium susceperat.

Reuera tempore Passionis Domini nondum erat fides prætense Reformatorum, quia neque Gentiles, vt Pilatus, neque Iudæi eam habuerunt, neque Christus & eius Apostoli. Non Pilatus, ille enim non scriptura sed consuetudine, SOLEBAT, nitebatur. Nec Iudæi, vt videbimus eos non scriptura nixos fuisse. Idem de Christo & discipulis infra ostendetur. Idcirco gratias ago tibi Domine Iesu, quod me in Ecclesia illa constituisti, in qua viuatur & docetur, tam sicuti scriptura docet, quam ratio recta, seu communis omnium prudentium, siue quo ad dies festos, siue cæremonias eorum, non enim dando scripturam sanctam abrogasti sanam rationem, sed eam solidasti & perfecisti. Cum ergo secundum vtrumque hoc lumen nos velis ambulare in hac vita, & in lege tua honorare & sanctificare præceperis dies festos beneficiorum tuorum memorias, maioremque in eis gratiam impertiri velis: concede nobis famulis tuis eos celebrare cum omni exercitio charitatis, fidei, spei, deuotionis, mortificationis, pietatis, virtutum omnium; etiam omni gaudio animæ & corporis spiritali, vt ex his ad solennitates illas æternas & cælestes paradisi tui provehi mereamur.

§. 188. *Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus qui in seditione fecerat homicidium. v. 7.*

Describit hic Euangelista occasionem qua Christus in electione dimittendi hominis vincti fuit à Pilato in electione comparatus latroni, qui vocabatur Barabbas, nempe Pilatū in suo conatu liberandi Christum, apud se sic fuisse ratiocinatū; Habeo plures vinctos, peiorē vnum, minus malos alios, inter quos & iste Christus est. Vnum debeo ex his dimittere. ipsi Iudæi eligunt ego propono. volo eis proponere omnium pessimū & exolum vnā cum Christo illo. Haud dubie eligent dimitti Christum, retineri autem in vinculis pessimum. Ita discurrebat Pilatus secundum rationem sanam & putabat, quod ita facturi essent Iudæi, habentes rationem passionibus detortam, sed deceptus est longè.

R 2

OPI-

O Pilate video te esse bonum adhuc virum, quia tu putas, quod Iudaei sint facturi iuxta dictamen rectae rationis, iuxta quam tu haecenus agis. Inde enim est proprium honorum hominum supponere quod vti ipsi bene indicant, alij etiam sint bene iudicaturi, & sicuti ipsi bene agunt, & agere volunt, ita alij quoque agant & acturi sint; sed hac Regula videntes boni homines, sapissime decipiuntur, quia non advertunt, quod alij passionibus suis à vero iudicio rationis abstrahuntur, & tallunt de se iudicia concepta à bonis viris. Hoc verum esse postea experieris in te ipso Pilate, tu enim modo rectè iudicas Christum esse in se innocentem, quia nondum es perturbatus passione. Veniet passio, & tunc iudicabis vti Iudaei, Christum esse perdendum. Expectemus modicum tempus, & discamus ex alijs, quid spondere possimus de nobis.

§. 189. Et cum ascendisset turba, cepit rogare, sicut semper faciebat illis, v. 8.

Cum Pilatus ingeniosum, vti putabat tunc, modum excogitaret, quo se expediret à condemnatione innocentis Christi, iussit ciues Ierolimitanos cito signo dato acciri ad prætorium, vt pridie Festi Magni exhiberet eis propriam Festi illius gratiam, & quia prætorium Romanorum, erat valde alto loco instar arcis iuxta Templum, oportuit populum accedere, cumque ascendisset in grandem aream lapidibus stratum, ibique staret, cepit populus clamare: *Vnum, ex vinculis petimus dimitti, Procurator Caesaris. Vnum ex vinculis postulamus. Fac vti soles nobis facere. Vnum ex vinculis dimitto. Pro vno vinculo rogamus.* ita acclamabat populus, & Pilatus audiebat intus, donec prodiret ad populum foris, allocuturus ex alto loco.

Bene facis Pilate, decorum seruas Magistratus, & Maiestatem; & beneficium à te rogari expectas, non offeras, etsi flagitari à te maxime optantes, corrumpuntur subditi, si beneficia importune eis obruduntur, expectanda est beneficentiae occasio decora, vt fiat eius collatio proficua & conferenti & ei cui confertur. Bene etiam fecisti, quod nolisti solis tunc praesentibus principibus sacerdotum, & scribis & senioribus postulationem vinculi dimittendi permittere, quia videbas eos exacerbatos & iniquo in Christum esse animo, sed ciues aduocasti. Omnia haec politice fecisti. Veruntamen in isto politicismo tuo video non paucos Theologicos defectus. 1. quod velis innocentem plane & authorem vitae, componere cum pessimo captiuorum & homicida, quod est contra iustitiam, quia iniuste auferitur innocenti honor suus in tali compositione. 2. quod non amoueas pontifices, & scribas & seniores plane suspectos à ciuibus, hi enim possunt corrumpi à tantis viris, vt non rectè eligant: debuissent illi tantispectu recludi,

recludi, ne iudicia vulgi corrumperent. 3 etiam si hoc fecisses, adhuc tamen peccasti, in eo, quod supponas Christum esse in vinculis retinendum, si forte Barabbam populus tua petitione liberaret, quod supponi non potest, quia vinculis, te ipso iudice, non est dignus. Male ergo fecisti, quocumque modo te exculare velis, nisi ita velis facere, & dicere populo: *Ecce hactenus vobis unum dimisi vincum in paschate. volo esse liberalis vnum flagitatis, duos dono, vnum pessimum, alterum optimum.* Sed tu vis retinere antiquam consuetudinem vnum solum dimittendo, & non habes antiquam materiam. nunquam Innocentem vincum habuisti, & ideo tunc bene optionem dando processisti, mutata est conditio, nunc Innocentem habes in vinculis & noxios, iam veterem formam seruare non debuisti. Ecce tantis in periculis sunt Magistratus, in quibus non est priuatus.

§. 190. *Pilatus autem respondit eis & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Iudaorum. v. 9.*

Cum iam Pilatus acclamatione populorum esset excitus foras, & processisset in Maiestate Romani praesidis, cupiens liberare innocentem Dominum, cogitari potest alterutro processisse modo, vel enim dixit populo iam silenti, quem vultis vobis ex duobus his vinculis dimitti? & sic electionem liberrimam populo dimisit, vel certe populo, praeviente voto suo, suggestit, quem dimittendum ex duobus deberent petere, nempe, *Vultis vobis dimitti Regem Iudaorum?* alterutro enim modo fieri debuit. Si priore modo factam cogito, verbum *Respondit*, pertinet ad postulationem populi, cum Pilatus nondum processerat; si posteriore modo factum intelligo, verbum *respondit*, ad electionem populi iam factam, & clamore dissono declaratam, referendum est, quocumque autem modum factum sit, erratum est à Pilato. Ille non poterat permittere populi arbitrio, qui populi arbitrio nullo titulo erat subiectus. Si Pilatus pro se dicat: *Volui eum liberare: suffragio populi nec potui sperare antam huius insaniam, ut peterent homicidam, dimitti, & auctorem vita perderet: Bene feci.* Dico confidenter, Pilate, male fecisti, non egebat suffragio populi, quem sua absoluerat innocentia satis declarata tuomet iudicio. Vide quomodo à vero iudicio cum peccatoribus istis verè declinas, Politicus esse vis, & desinis esse Canonicus. populo vis placere, & incipis Deo displicere. Hoc malum tibi & Christo facere non debuisti.

Domine clare video, quod viri positi in publico officio, sint in magno praecipitio. Utinam ad officia talia homines non aspirarent, utinam se etiam quassitos absconderent, tunc signum de se ederent, se id quod petunt,

R 3.

tunt,

tunt, intelligere. Verissimum etiam est quod meritiissime pro principibus & magistratu oratur, qui tam grauius periclitatur.

§. 191. *Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. v. 10.*

Exprimit hic Euangelista causam, cur ita conatus fuerit Christum liberare Pilatus; nimirum quia iudici constabat Christum ex inuidia per Summos Sacerdotes sibi traditum. Quæ autem inuidia fuerit, Ioannes manifestat, dicens eos dixisse: *Ecce mundus totus post eum vadit, & si dimittimus eum sic omnes credent in eum.*

Domine Iesu, video æquitatem in Ethnico, & confundor in Christiano: nam video & plane sentio hinc inde Christianum etiam subinde furij Inuidiæ agitatam, acuerè linguam suam aduersus proximum suum quando videt illum crescere, se vero minui vel non super omnes excrescere, tunc obliqui aspectus, tunc ægre extortum alloquium, tunc detractiones, tunc etiam insidias est obseruare. Deus meus conserua me ab hoc malo, per quod mors in mundum intrauit. Sed & mihi hanc da gratiam, vt semper & vbique amore iustitiæ & æquitatis coner Innocentem defendere, & periculis liberare, & promouere, ne iniuriam vllam patiarur, aut damnum.

§. 192. *Pontifices autem concitauerunt turbam vt magis Barabam dimitteret eis. v. 11.*

Quantum malum est invidia! ecce per inuidiam Pontifices facti sunt populo deteriores, magis imprudentes, tumultum concitantes. Audite ergo Iudith illos increpantem. *Vos estis Presbyteri in populo Dei: & ex vobis pendet anima illorum: ad eloquium itaque vestrum corda eorum erigite, nolite eos in barathrum protrudere, vel potius vobiscum detrahete; misericordiam obsecro eorum, de quorum primitiis & oblatiis viuitis, talia Iudith locuta fuisset.*

O Deus! quare permisisti obsecro tale scandalum, vt Pontifices ipsi & Sacerdotes populo suo tam malo præirent exemplo? Nunquid non merito hinc argumentabuntur hæretici oses Ecclesiæ tuæ dicentes: *Ecce Ecclesia defecit, vt Sacerdotes sic populi, omnes mali facti sunt, non fuit tunc bonus ad vnum.* Ita est: sic argumentari possunt de Synagoga, quia reuera deficere debebat, vt Lucifer oriente sole, & quid mirum defecisse illam Ecclesiam, quæ non habebat promissionem constantiæ æternæ, quam habet Christiana. Argumentetur ergo hæreticus de synagoga, sed non affingat

Christi

Christianæ quod proprium est Mosaicæ non affingat Saræ Dominæ, quod est ancillæ Agar: inique argumentatur, cum sic hæreticus argumentatur, & plerumque qui sic arguunt Ecclesiam Catholicam, ipsimet sunt apostatæ ab eadem Sacerdotes, seducti per passiones suas immoderatas & volunt suam inconstantiam affricare constanti Ecclesiæ.

§. 193. *Pilatus autem iterum respondens ait illis. v. 12.*

Quia Pilatus male sperauerat neminem fore tam audacem & impudentem è numero Iudæorum qui dimitti peteret latronem scilicet insignem, quo inter victos peior nemo erat, videns aliter euenisse consternatus aliud consilium capit è penu seu thesauro politico suo sed priore multo deterius & infelicius & qui antea populum secum æquauerat adhibendo in consultationem, de dimissione rei innoxij, ecce imprudentissime eundem nunc facit Iudicem. Petendo ab ipsis Iudæis, quid de Christo fieri vellent, sed dum petit, perdit & se, & Christum Dominum, se quia prodit inconstantiam suam, & timorem in administranda fortiter iustitia, dum homines offendere magis quam Deum & iustitiam timet. Hoc aduerterentes Iudæi audacter pro Iudicibus se gesserunt.

FAxit Deus ne & hodie eiusmodi Iudices timidi inueniantur, qui nesciunt virtute irrumpere iniquitates multorum, sed statim ad faciem vel potentis vel amici extimescunt facere iudicium & iustitiam & tales se & amicos & inimicos perdunt. Hunc timorem, Domine, obsecro auertas ab omni Iudice Christiano.

§. 194. *Quid igitur vultis faciam Regi Iudæorum. v. 12.*

Quanta timiditas! quantus pudor tanti Principis & Præsidis Iudæorum, vt non audeat dimittere innocentem quem ita plene nouit, ex inuidia sibi esse traditum & non aliam ob causam! sed insuper petat consilium à subditis & sibi eum tradentibus & falso accusantibus, & odio habentibus, quid facere debeat de eo, quem sibi tradiderant, Non scis, Pilate quod inuidia non quiescat, donec in eo, quem odit, plenam videat miseriam! Tu quidem captas aliquam benevolentiam tuorum subditorum, dum vocas Iesum regem Iudæorum quasi videaris non nihil ipsorum regno deferre; sed dico tibi sincere, quod illi passionibus Mei & Tui agitati nõ intelligant talem benevolentiam. O pusillanimitatem detestandam in Iudice! qui nullam inueniens in Christo causam, non tamen iuxta leges liberat eum, sed inimicos interrogat, quid agere debeat, cum eo quem oderint, quem falso accusarunt, quem sibi tradiderint morte plectendum.

○ Bone

O Bone Iesu, tu da veram in iustitia & æquitate constantiam, quam nec leges Romanæ, nec Mosaicæ, nec Philosophorum aurea dictamina dare potuerunt.

§. 195. *At illi clamauerunt: Crucifige eum. v. 13.*

Videntes Iudæi Pilatum timere, & audientes, quod se in consilium adhiberet, Ecce audacter dicunt sententiam. Sed qualem! Deus bone. Solent homines in iudicijs criminalibus horrescere audita sententia mortis, vel supplicij imo deprecari pro reis. Hic planè aliter agitur, hic videntur meri diaboli esse.

O Hierosolyma vel potius crudelissima Babylon, tunc omnium Ciuitatum caput, vt sacratissimum Messiaæ tui caput tam funesta ruina inuolueres, ideone tuo in sinu tot annis innocentissimus mansuetissimulque conqueuit, vt tuis vnguibus ac dentibus, tuis gladijs ac hastis factus præda tandem laceraretur. An hunc animum tam inhumanum, tam efferratum, tam crudelem tuorum è schola Prophetarum tulisti? Scio, quod aliter ibi sis docta; sed hæc est hora, & potestas tenebrarum, in quibus deferta luce versari maluisti.

O amantissime Domine in quantum te grauauerunt mea criminal tam molesta tibi fuerunt vt etiam te vitam ipsam morti tradiderint. Quid enim aliud prætendebat iste clamor Iudæorum dicentium *Crucifige eum*, quam accusationem aduersus me coram patre caelesti à diuina iustitia institutam. Pilatus quidem animaduertebat tuam innocentiam quod sine peccato omni esses, & quod in tuo ore dolus inuentus non fuerit; sed peccata mea tam dura tibi fuerunt; illa clamauerant & clamabant, dirum illud crucifige. O Iudæi, ego in vestris personis contemplot mea peccata. Hoc debeo vobis, quod speculum facti estis mihi, vt possem me in nobis contemplari.

§. 196. *Pilatus autem dicebat illis. Quid enim mali fecit? v. 14.*

Bene dicis, Pilate, perge sic vrgere male affectos, si forte redeant ad rationem, à qua recesserunt quia sicuti virtuti competit præmium, ita peccato debetur supplicium, vbi ergo antecedens non est peccatum, decens est vt non sequatur pæna. Veruntamen hoc iudiciū rectum in Pilato adhuc viuens, vt in Iudæis erat oppressum passione; ita quoque hodie videmus idem oppressum in Caluino Gommaristis Antelapsarijs qui hominum maximam partem addicunt inferno æterno absque omni præuisione culpæ, & quod est terrius, ipsi Deo suam hanc tyrannidem affingunt. Cum igitur audis hos tyrannos talia blasphema docentes, dic audacter cum Pila-

ro: quid enim mali fecit homo, qui ante lapsum Adæ & suum ita addicitur inferno?

O Deus, video quod non solum tempore tuæ passionis fuerint homines, qui te innocentem addixerint cruci, sed etiam modo, sint, qui hoc præterea mali agunt quod populo persuadeant te talem esse Tyrannum, qui crucifigas & crucifigi velis eos qui nihil adhuc mali fecerunt. Et hi volunt dici Christiani. Vere peiores sunt ipso Pilato gentili.

§. 197. *At illi magis clamabant, crucifige eum. v. 14.*

Hic novum animaduerto strategema passionibus suis indulgentium fræna: nam quod ratione nequeunt efficere, clamore, turbulencia & impetu efficere conantur. Non est ipsum inuentum nostro tempore inustitatum, sed tu, Domine, in te ostendisti, quomodo talia tela vinci possint, à subditis, & simul demonstrasti, quam male Prælati & Magistratus ad talia commenta conmueant, & quo perducantur, si talia inuenta sequantur.

O Deus, da obsecro Magistratui gratiam, in quibus machinationibus eorum iustitia peruertatur: da etiam miseris, qui talibus opprimuntur, patientiam hic, & postea vitam æternam.

§. 198. *Pilatus autem, volens populo satisfacere, dimisit eis Barabbam. v. 15.*

Iam videtur Pilatus consensisse iniquitati. Vide anima mea, quomodo Homo qui initijs non attendit paulatim decidat, & sensim torrente moris humani abripiatur. Hoc erat profundum illud quod in prælatione timebant semper prudentes & sancti. ne videlicet ab his quos regere debebant abriperentur uti naus à fluminis imperu. Ecce Pilatus abreptus est clamore & importunitate, verba iniquorum prævaluerunt super eum, Loquamur igitur ad cor Hierusalem ut fructus inde promanans animis nostris medeatur. Vere indignum commercium, dum latronem, mortis ministrum, vitæ datori, vitæque ipsi præferimus. Quod tamen peccando perpetramus, nunquid igitur merito, sicut Iudæis, fructus tam iniquæ petitionis nobis quoque adhæret, qua diabolus mortis Principem ut illi Barabbam, eligimus: quam tamen frequenter etiam hic error committitur, ut Barabbas Christo præferatur, quando in electionibus, officijs & promotionibus indigni dignis præponuntur; & in actionibus eligitur potius malum, quam bonum.

ET tu anima mea speculum hoc diuinæ bonitatis attende in quo charitatis, patientiæ, humilitatis exempla resplendent: & disce non indignari si quando indignioribus postponaris, cum Dominus Iesus, sponsus tuus, præ participibus suis à Deo dilectus, præ nequissimis fuerit à Iudæis de-

S

spectus.

ſpectus. Sed quid aio? ſuperba mens noſtra, ſuz ſemper excellentiæ ſtudioſior, hanc Philoſophiam non capit: Poſtulet ergo humiliter à Deo & dabitur ei. Stimulo opus eſt: eum admitte. Quando Deus vnicuique ſuum locum & ordinem eſt daturus, tunc tanto maiori cum gloria, quanto maiori cum ignominia hic tibi à mundo fuerat denegatus, illum reſtituet ille tibi qui dicit: *Amice aſcende ſuperius.*

§. 198. *Et tradidit Ieſum flagellis caſum vt crucifigereetur: v. 15.*

Heu! Heu! Heu! quid audio? nequam dimittitur ſine pœna liber, & optimus in o virtus ipla traditur in manus inimicorum eius ad flagella, ad tormenta, in dè crucem latronibus tantum & ſcleratis hominibus eo tempore infligi ſolitam. Intelligo feralem mortis acerbiffimæ ſententiam. Quod ſi vnquam hominum improbitas & armata ſcleribus nefandiſſimis libido rabiem aliquam & execrandam in mundo crudelitatem exercuit & ſub fiſtæ gratitudinis prætextu perfidiæ monſtrum peperit, ingrata hodie accuſanda certè eſt Iudæa, illa Orientis vniuerſi gloria, Palæſtina decus. Princeps Prouinciarum, quæ poſteaquam Dei filium & tot ſæculis Meſſiam expectatum, triginta tribus annis intra ſuos agros atque orbes hoſpitiæ excepiffet, ſclerato animo in eius mortem conſpirauit, & ſub obedientiæ ſimulatiq; obſequij larua in periculum illud & diſcrimen attraxit, vnde mortalium omnium ſalus eſſet euacuata: niſi Dei miſericordia per hoc ipſum parauiffet remedium, per quod merebamur exitium.

ET iam te alloquor Pilate, Romanorum & iuſtitiz præſes, vbi nunc iuſtitia tua, vbi fides, vbi præſtitum Romanis fidelitatis & iuſtitiz exercendæ iuramentum: anne iniquum velle caſtigare & morti tradere quem noſti innocentem, quem noſti ex inuidia tibi traditum? times homines magis offendere quam Deum & iuſtitiam eius? Verè fatius tibi fuiſſet non fieri tantæ Prouinciæ Iudicem, ſi non valebas virtute irumpere iniquitates. Dire tibi hæc conſtabit puſillanimitas deteſtanda, qui nullam inueniens in Chriſto cauſam, non tamen iuxta leges liberaſti eum, ſed, vt occidatur, miſere tradidiſti. O iudiciū iniquum, ô iniuſta ſententia, ô crudelis damnatio. O Iudex peruerſe, iam dudum nullam in eo cauſam inueniſti, & nunc eum morti adiudicas? iam iam iuſtum eum affirmabas, & nunc ad Crucis eum mortem condemnas, paulo ante fatebaris, quod & bene noueras Iudeos odijs & inuidia ſtimulatos eum tibi obtuliſſe, culpam omnem ab eo abeſſe, & modo impijs hoſtium ſuorum manibus & crudeliſſimæ illorum voluntati eum tradis ad mortem crucis? quid dicam? perdididiſti omnem honorem, veritatem iuſtitiam, & pro eo ſempiternas incurriſti pœnas.

§. 199.

§. 199. *Milites autem duxerunt eum in atrium. v. 16.*

Iam iniquæ sententiæ fit iniquior executio, nam qui iam ante erat flagellatus titulo castigationis ciuilibus, vt ea satiatis inimicis dimitteretur, nunc iterum alio titulo flagellatur. nam hoc etiam sententia mortis habebat, vt flagellatus Iudæis traderetur.

O Anima mea & quotquot Deum amatis qui Christi Iesu pretioso sanguine redempti & à peccatis vestris abluti estis, venite & interno cum dolore videte, quanta fecit Deus animabus nostris, quanta passus est pro iniquitatibus nostris. Et si ista corda vestra non compungunt, aut certe non commouent, ferro ac lapidibus duriores vos certe esse arbitramini. Aspicite vt Rex gloriæ pro vestris hic sceleribus vulneratus & deformatus effectus est, videte si dolor vllus hisce possit doloribus æquiparari. Quid ultra ab eo exigitis? Quod si & ista non sufficiunt, plura adhuc pati paratus est. Aliquid ne in corpore eius putatis remansisse illæsum & integrum? En pro peccatis vestris libens etiam mortem excipiet, sanguinemque suum ad extremam vsque guttulam effundi patitur: sed & cor ipsum vestri causa confodi sinet, vt ipsum vobis patefaciat, nimiumque suum declaret amorem.

Diligamus quæso eum omni mente, omni virtute qui nos tam immenso amore complexus est, contraque modis omnibus spernamus eum, cum vniuersis consilijs ac suggestionibus illius, qui hostis est implacabilis & interfecto animarum, qui in hoc solum totis incumbit viribus vt nos secum ad æterna locorum infernalium tormenta abducere queat.

§. 200. *Et conuocant totam cohortem. v. 16.*

Milites scilicet Romanorum stipendia facientes & qui semper Hierosolymis morabantur cum Præsidente, propter crebras Iudæorum seditio- nes & tumultus. Hi eo die in atrio Præsidis excubias facientes, empti pecunia forte per Iudæorum Principes, vt varijs ludibrijs & tormentis Christum agitent. Itaque Iudæi æstimantes non sufficere posse paucos, conuocabant totam cohortem, vt quod vni deesset in inuentione nequitia id alter suppleret. Hi igitur simul existentes Christum illudere incipiunt, idque tanta petulantia & risu, vt similia nusquam aut lecta aut visa sint, imo nec credi possent, si non tam diligenter Euangelistæ singula scripsissent. non quidem legitur Pilatus hæc præcepisse, sed milites sua sponte vel emptitie fecerunt, vel vt Iudæis gratificarentur. Interim tamen Pilatus coniuert, tacet, dissimulat, non prohibet, vnde excusari non potest à culpa qui tantam malitiam in innocentem factam, non saltem verbis coarguit.

S 2

Decem

Decem autem illusionum species ab Euangelistis numerantur, quas nebulones isti Christo intulerunt. Harum prima est, quod totam diaboli cohortem conuocarint, ut ludibrium & derisio amplior fieri posset. Secundo congregata simul cohorte circumdant ei vel induunt chlamydem coccineam; 3. Plectunt coronam de spinis, eamque imponunt sancto capiti eius pro regia corona. 4. Dederunt illi in manus calamum vel arundinem pro sceptro, 5. Genuflexo ante eum illudebant & deridebant derisoria illa salutatione: *Aue rex Iudaorum*. 6. Dederunt ei alapas, Impio enim homine nihil crudelius & alienius ab omni compassione. 7. Exspuunt in eum, quæ est summa contumelia & contemptus. 8. Percutiunt eum arundine super caput, illud etiam Dæmonibus tremendum cunctisque celorum virtutibus reuerendum & omnibus sanctis venerandum, caput inquam benedictum in sæcula, à quo omnis benedictio in nos descendit. 9. Postquam percussione capitis aculei spinarum magis ac magis ipsum sanctum verticem penetrabant, exuunt illum purpura & induunt eum vestimentis suis. Et indutum suis vestibus, ne forte ante crucifixionem moreretur, festinant eum educere ad montem Caluarie, ut ibi crucifigeretur.

Etsi hæc non essent scripta in Euangelij & vniuersitas populorum tot sæculis, miraculis primum manifestis inducta, vsque modo credidisset, summo consensu quis prædicare hæc auderet? sed quia recepta sunt, ut sine temeritate discredere nequeunt, secure ea credimus & prædicamus. Quis autem hæc audiens, non statim contremiscat? cum certum sit, ea omnia nos sine fine passuros fuisse quæ Dominus noster, caput nostrum, Rex noster pro nobis toleranda suscepit, imo tetriora (vermem scilicet & computationem conscientie, irrisionem ab omnibus creaturis, & denique etiam ab ipso Deo separationem) nisi Christus voluntarie his æquiualentia pro nobis sustinisset. Sic igitur granum illud multiplicandum, seminatur horribili contumelia, ut mirabiliter pullulet in gloria. Sic regnum quod de mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed humilitate patiendi vincebat. Interim tamen quod milites illi summo contemptu & crudeli ioco fecerunt, hoc Christus Dei virtus & sapientia, & zelo serio, & ex caritate ingenti sustinuit.

Pudeat nunc vos, ô superbi, qui erectæ ceruicæ tumidi inceditis. Erubescite qui sapientes estis in oculis vestris, & extollimini ultra id, quod estis, obliuiscite vos stercus esse & cinerem & vasa testea plena immunditij. En Dominus Dominorum, in quo sunt omnes thesauri sapientie & scientie absconditi ut fatuus deridetur à militibus, à nebulonibus, à filiis mundi huius, & tolerat, & quidem pro vobis. Cito adorare Dominum Deum vestrum,

strum, glorificate eum, date gloriam ei & honorem, accingimini faccis, plorate super vos.

§. 201. Et induunt eum purpura. v. 17.

Irrisoriè quidem ista agunt incitati milites, attamen per hanc vestem reuera inauguratur Christus publicè Rex, ab ijs qui hætenus ei rebelles fuerant, nempe hominibus. Et cum hoc ipsum Dæmones agant per Homines, ipsi incautissimè regnum suum super Homines, in Paradiso occupatum transferunt & amittunt. Hic Quæstio occurrit quis eum induerit chlamyde, & post flagellationem, & coronationem suis iterum vestibus? Matthæus quidem habet fuisse tortores & carnifices dicens: Et postquam illuserunt ei exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis suis. Inuenio autem in reuelationibus S. Brigittæ l. i. c. 10. n. 7. Christum in flagellatione & post, item in monte Caluariz ante Crucem seu Crucifixionem sese in & exuisse textus enim sic habet loquente V. Matre, Deinde ductus ad Columnam personaliter se vestibus exiit, personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligauerunt. Alligatus autem nihil omnino operimentis habebat sed sicut natus est sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici eius, qui fugientibus amicis suis vndique astabant, & flagellabant corpus eius, ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego quæ astabam (in spiritu, scilicet) propinquius cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus eius verberatum & flagellatum vsque ad costas, ita vt costa eius viderentur. Et quod amarior erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cumque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, vt in eo non inueniretur sanitas, nec quid flagellaretur, tunc vnus concitato in se spiritu quasiuit, nunquid interficietis sic eum iniudicatum? & statim secuit vincula eius. Inde filius meus induit se vestibus suis, tunc locum vbi stabant pedes filij mei totum repletum vidi sanguine, & ex vestigijs filij mei cognoscebam incessum eius, quo enim procedebat apparebat terra infusa sanguine, nec ipsi patiebantur vt se indueret sed compulerunt & traxerunt eum vt acceleraret. Cum autem duceretur quasi latro ipse filius meus exterfit sanguinem ab oculis suis. Cumque iudicatus esset imposuerunt sibi crucem portandam. At hæc de prima flagellatione verius accipienda videntur, quam de posteriore hac & coronatione.

Sed, Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradens in multitudine fortitudinis suæ! Ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum, calcavi eos in furore meo & concalcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui.

S 3

Nosse

Nosse desideras amica dilecti quam multipliciter eius iudumenta tunicata sint reperias, quantumque mysterij his obueletur? En quoties Regis tui chlamys rubenti flagrantique hoc colore imbuitur, vt tot mutatorijs adspectabilis, ardentius te in sui amorem alliciat, tuque etiam tandem compareas circummicta varietatibus, pœnitentiæ, varietatibus virtutum & gratiæ Dei. Egredimini itaque filiæ Sion, & videte Regem Salomonem posteriorem & tanto priore meliorem, quanto vobis hic præ illo debet esse carior.

§. 202. *Et imponunt ei plectentes spineam coronam. v. 17.*

Coronarum vsus bonus, cum dantur Maiestatibus Imperiorum, & regnorum, cum virtuti, vt cum corona iustitiæ, fortitudinis &c. vt & aureola castitatis, Martyrij, doctrinæ in cœlis dari perhibentur à Theologis & in terra dantur Poëtis Laureæ, solemnitatiq; nuptiarum & similibus, vnde etiam illa gloriabatur, quæ dicebat, *tanquam sponsam decorauit me corona*. Malus vsus est coronarum cum dantur Veneri, voluptati, vt Sap. 5, narratur dictum: *Coronemus nos rosis*. Item cum dantur ad ignominiam vt hic, sed nullam spineam coronam datam vnquam legi quam hic, Christo Domino datam obseruo. Sed ipse coronari ita se permisit vt ex his, quasi vittis & fasciis, victima nostra intelligeretur. Circumligabantur enim olim & vittis ornabantur victimæ, forte ab ipsis vittis ira dictæ, quas alij à victis hostibus nuncupatas esse coniectant. Cur autem spinea corona? cogitemus quod ex decreto Gen. 3. *Spinæ & tribulos germinabit tibi terra* scilicet maledicta. Item vt impleretur figura Gen. 17. *Aries inter vepres harenis cornibus Christus Iesus substitutus*, pro immolando Isaac filio. reuera vt intelligeret mundus quantum Deus homines amaret, qui cum modo coronentur rosis postea coronandi spinis; ipse volens fortunam eorum emendare, modo illorum loco spinis voluit humillime coronari, vt postea sui coronarentur lilij & rosis.

Alta trahamus imo ex pectore suspiria, in lacrimas erumpant cuncta membra & omnes venæ nostræ, quod nos pœnarum istarum causa sumus. Colliquefcatur præ dolore cor nostrum totumque resoluatur in lacrimas quod Deum, quod Creatorem nostrum execrandis nostris sceleribus, tam dire coronauerimus. Enim vero hæ spinæ contextæ, quid aliud sunt quam crudelia nostra peccata quæ coaceruauimus? His quotidie venerandum Christi caput inclementer vulneramus multoque maiori cum dolore & contumelia afficimus, quam qui eum tempore passionis his pœnis excruciarunt. de illis enim scriptum est, si cognouissent eum, nunquam Do-
minum

minum gloriæ crucifixissent. Nos vero & nouimus regem hunc Omnipotentem & illius voluntatem & iussa perspecta habemus, & tamen obedire ei recusamus, nihil pudet nos tam potenti resistere Domino, eiusque iussa contemnere, cum tamen nihil ille nisi nostram petat salutem, utque ipsius simus cohæredes in regno patris eius. Igitur & anima mea è spinis intexti tibi coronam, hic in terris, ut cum Rege tuo & sponso Iesu Christo merearis immortalibus & æternis coronari in cælis.

§. 203. *Et ceperunt salutare eum. Aue Rex Iudeorum. v. 18.*

Actionem scenicam cohors militum Romanorum exhibuit spectatoribus Iudæis valde gratam, in qua valde delectati sunt Actores excepto vno Dño N. Christo: spectatores vero multo maxime. Tota fuit exhibitio simulacri quo Reges & Imp̄p. creabantur, & mox honorabantur. Iam præcessit creatio, nempe, cum tota cohors concurrat ad Christum & eum tulit ad atrium Prætorij patentissimum locum, 2. cum eum ibi exuerunt, & flagellarunt, 3. cum quasi pœnitentes facti subito eum sanguine suo rubricatum purpura amictunt, 4. coronam spineam plectunt, eamque imponunt Domino; iste fuit Actus primus cum suis scenis. Iam secundus sequitur & 1. scena fuit salutare eum ludicrè, per ordinem transeundo ante eum, & dicendo Aue Rex Iudæorum, & alia scæda agendo quæ tacentur.

O Deus, quis ista sciens te pro se pati, non compungatur ad amorem tui!

§. 204. *Et percutiebant caput eius arundine. v. 19.*

Quia Christus Dominus præterita omnia mala mirum in modum patienter ferebat ita ut ne semel quidem faciem suam ab eorum lannis insanis auerteret, tanto agitabantur furore ut exilientes è terra rapta è manu eius arundine, horribiles in caput eius ictus darent, quibus spinarum aculei altius sancto illius cerebro infigebantur adeo ut hæc pœna etiam cor illius attingeret fluente pretioso sanguine, vbertim per amabilem faciem atque collum, nihilominus sedebat illic agnus innocens pleno affectu, omnemque hanc prorsus inhumanam afflictionem & pœnam pro nostris scèdissimis peccatis, ad æterni patris gloriam patientissime tolerabat. grauitatem eius ludibrii si scire cupimus, naturam contemplemur. Arundo vacua, leuis, mobilis, fragilis est. Per vacuitatem significare voluerunt, quod sicut arundo medulla & nucleo caret, ita Christus sensu & intellectu, qui ita nei sapientia patris est (ô blasphemia!) per leuitatem, animi eius inconstantiam & opinionum volubilitatem præsignabant (ô iniuria!) per mobilitatem, quod sicut arundo quocunque stante vento in hanc & illam partem flectit.

§. 113

rum; ita Christus quacunque vanitatis aura flante commoueretur (ô mendacium!) per fragilitatem, quod regnum eius caducum omnis infirmitatis & soliditatis penitus expers esset, atque adeo facile arescere deberet non secus ac arundo quæ propterea ab arundo dicitur (ô falsitas!) verum diuina sapientia alio tendebat, scilicet accepit letus arundinem in manu ut antiquum serpentem interficeret. verba Athanasij sunt. *Arundinem accepit cum illi à diabolo porrigeretur, ignaro, quod contra seipsum gladium acueret dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse.* His addamus & nos tum quod olim ex arundine sagittæ fiebant. Vnde Diabolus & Iudæi arundinem in manu Christi ponentes sagittarum contra se materiam illi subministrabant. sagittarum inquam earum quarum meminit Dauid dicens. *Arcum suum tenuit & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis. sagittas suas ardentibus efficit.*

GRatias ago tibi Iesu fortissime pro nostris peccatis irrisse. Nos veretabiles sumus qualis arundo tibi data delignabat: vani inanes, instabiles, omni vento fluctuantes, nihil habentes fortitudinis, nihil virtutis continentis, & interim nihil non præsumentes. Tu autem Domine Deus, humana conditionis amator, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas, da nobis per arundinem in tua dextera collocatam, constantiam, qua nec mundi blandientis vanitate flexamur, neque delæuientis terrore, quæstemur. Amen.

§. 205. *Et conspuerunt eum. v. 19.*

Ista iam est tertia scena Actus secundi in inauguratione noui Regis qua adeo Iudæorum rabies in Christum effebuit, vt non satis ipsis videretur supplicijs ac iniurijs illatis illum affecisse, & ideo alia noua & nunquam ferme excogitata ignominia ac dedecoris genera produxerunt. Erant hoc Regem nouum conspuere, benedictam faciem eius scædare, caput, manus, pedes, vestes. pendebant hæc impij illi, quasi tributa quædã nouo Regi vel symbolas & cum ad proijcienda sputa abiectus locus aut humilis angulus quæri soleat, nullus alius abiectior ipsis visus est quam ipse mundissimus, immaculatissimus Iesus. Saliuæ autem in faciem proiectio infamiae simul & rabidæ iracundiæ certissimum indicium semper existit; vnde sacra Numerorum narrat historia, quod cum Maria Moysis soror illi detraherat & ideo lepra diuina virtute immissa grauiter afficeretur: orante Moysè pro eius sanitate, Dominus respondit. Si Pater eius spuisset in faciem eius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi: si ergo ob proprio patre filiam conspui tanta reputatur ignominia, adeo quæ scædat & inhonestat; quanto grauior hæc erit quam Christus Dominus patitur!

Ah! quam deformis effectus hic est pulcherrimus omnium creaturarum? quam elegantissima Christi facies omni decore & specie destituta est, vtpote ex verberibus & plagis, quibus ea nocte nimis affecta erat, tumidaque vnguium lacerationibus diuisa, nec non sputis à blasphemantibus commixtim in ea fluentibus, turpiter defœdata! mihi hic terrè vox hæret, & animus liquecit.

§. 206. *Et potentes genua adorabant eum. v. 19.*

Ista est 4. scena, quâ iam sputis, quasi tributis ditatum Dominum simularunt se recognoscere quasi potentem & diuitem benefactorem, & ideo se ambire eius gratiam, quam genuflexione & adoratione vellent sibi promereri. quam ludicre, quam scurriliter vero ista genuflexio, & adoratio sit exercita, qui nouit scurrarum inuenta potest æstimare.

Tu ergo Domine qui ista pro me passus es, da obsecro semper interius indeficientem in omni mea dehonoratione patientiam. memoria & laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine miserere mei & adiuua me sicut tu nosti, quod mihi est necesse in corpore & anima, scis enim omnia, potes omnia qui viuus in sæcula. Quod vero hætenus sæpe neglexi, te adorate mane, & adorare vesperi, & ante ac post cibum, & alijs condignis temporibus, pro hoc meo defectu offero tibi omnium SS. tuorum in cælo laudes, & creaturarum omnium benedictiones.

§. 207. *Et postquam illuserunt ei. v. 20.*

Finitus est Sannionum istorum Actus secundus, nunc tertius inchoatur, in quo ijdem simulant se, tanquam milites cum Rege suo nouo velle exire ad bellum. considerans igitur S. Marcus, quomodo egissent hætenus cum Domino suo, concludit in summa omnia dicta & vocat *illusionem*, quæ quàm solear nos homines amaricare, quantum grauare cordis cogitationes, optimè norunt, qui aliquando sunt illusi. Dolor ille est ad mortem, & zelum æternum. Illudere enim non est aliud, quam aliquem pro infano & stulto habere. hoc nemo ingenuus viribus naturæ ferre potest.

Quapropter ad te Deum protectorem meum confugio; illumina quæso interiores oculos meos vt nunquam illudam alijs, multo minus te. corrobora vires meas vt vincere possim zelum meum si quando illudar, maxime quando propter te. Munda cor meum, accende spiritum meum, intellectum illumina, cogitationes collige, omnesque vires meas vni, & constringe vitæculo amoris & compedibus timoris tui, vt nunquam à te possim abalienari propter illusiones, sed semper tibi subditus, semper vni-

T

tus

tus sim, tibi absque defectu adhæream, te timeam & amem, tibi gratias agam, te laudem & benedicam hic & in perpetuum. Amen.

§. 208. *Exuerunt eum purpura. v. 20.*

Quando Duces & Reges ad bella procedunt, tunc solent sæpius habitum Regalem mutare, ne à quolibet nauci homine agnoscantur & in ipsos uti cor exercitus collimetur ad mortem. Hanc cæremoniam etiam fanniores isti in Christo Domino nostro voluerunt exprimere & ideo purpura eum exuerunt. quibus verbis & modis id fecerint ridiculi illi, cogitet deuotus Christianus, qui talia aliquando in Depositionibus Scholasticorum spectauit.

Domine Iesu, istam purpuram si contingeret nos obtinere, omnia auri & argenti vasa & omnem monetam & vestes pro ea offerremus, tam nobis cara caput esse, quia tu eam sanctificasti, tuo attractu quicquid enim tu tangis sanctificatur. O purpura si tu intellexisses in quo homine tu fuisses suspensa certe nunquam ab eo te diuelli passa fuisses, sed pertinaciter adhæsisses ei in æternum.

§. 209. *Et induunt eum vestimentis suis. v. 20.*

Iam regali habitu spoliatus erat Dominus, & quod dederant milites, subito etiam abstulerant, cum suis iterum induitur indumentis. Nolebant Iudæi ut Christus crucifigeretur in purpura, ne posterii dicerent, eos Regem Iudæorum crucifixisse, sed exuentes eum purpura, curarunt indui vestimentis suis, toga scilicet inconsutili, & alijs, ut in his educeretur ad conflictum cum diabolo, de mundi principatu occupando.

Bene, & valde, bene facitis Iudæi, quod Saluatorem exutum purpura, suis pristinis induitis vestimentis, quia sic obstruitis ora loquentium mendacia, quasi non ille Christus qui pertransiit benefaciendo, sed alius passus fuisset. Ecce si non ex facie, certe ex veste agnosci potest sic vos ipsi regnum Christi promouetis nescientes.

§. 210. *Et educunt illum ut crucifigerent eum. v. 20.*

Postquam omnia quæ excogitari poterant malitiæ & nequitie in Domino exercuerant, eum capiendo sine causa, ligando, falso accusando, castigando, flagellando, coronando, cum iniquis comparando, morti adiudicando, multoties induendo & exuendo varijs & stultis vestibus, ut dolores continuo innouarentur, nec mors secuta usque huc, eam omninò iam irrogatam volunt & quidem amarissimam & ignominiosissimam crucis, quæ ut sequatur de facto eum iam educunt, propria onerantes vulnera-

tos totaliter humeros ipsa grossa cruce ad pœnam maiorem & illusionem non secus ac Abel iustus in agrum à fratre perimendus, vel Isaac cum lignis ab Abrahamo. procedit hic Ioseph in tunica talari sanguine lita; Moyses cum vitga. Hic est botrus è veste appensus. Hic Elisæus cum manubrio adquirendam securim, demersam in fundo, nempe genus humanum quod à ligno vitæ in infernum deciderat, per lignum crucis Christi retrahendum ad paradisum.

O Pater, de cælis aspice obsecro è solio Maiestatis tuæ, & intuere vnigenitum hic tuum, quanta is patiatum ad gloriam tuam, & operetur pro redemptione nostra. Vide vt dilectus vnicus tuus tibi in gloria æqualis par in potentia inter latrones despectus & ad ignominiosam Crucem est condemnatus, aspice perseverantem illius obedientiam ac patientiam, vt omnes has pœnas, amaritudines, contemptum, probra, iniurias, & uniuersos cruciatus suos ingenti cum desiderio perferat ad honorem tuum, supraque vires suas humanas, vera cum resignatione absque vilo adminiculo, se ipsum totum impenderit. vt tuam gratissimam perficeret voluntatem. Hic est dilectus filius tuus in quo tibi multum complacet, hic est verus Iacob qui persecutionem ab Esau, populo Iudaico patiens humiliter per Iordarem solus perrexit cum baculo crucis suæ, vt multis cum diuitijs, & grandi hominum frequentia ad te reuertatur. Hic est Ioseph verus, charissimus filius tuus, miles à te, vt requireret fratres suos quos inuenit in Dothaim, id est, vitijs magnis atque peccatis, quem demum bestia deuorauit pessima, id est, pestiferum inuidiæ virus. Hic est Iesus pastor bonus qui animam suam positurus pro ouibus suis, & perditam ouem tam anxie perquirat, quam deinde multo cum sudore inuentam, ex vitiorum sordibus extractam & eductam, amabiliter suis imponit humeris ad ouile reducens. O Pater misericordissime, aduerte quæso vt dulcissimus natus tuus peccata omnia totius mundi solus portat in cruce sua, & qui nunquam peccauit, omnem spurcitiam ac sordes nostras diluit purissimo sanguine suo, ardoreque sui flagrantissimi amoris. Ah quid sum ego vilis terræ vermiculus, vt mei causa non parcas vnigenito filio tuo? quantopore me amas, quem tanto pretio vis redimere! Et certe si quid melius cor tuum paternum excogitare potuisset, in me cessisset salutis pretium & vsum.

Quid rependam tibi Pater sanctissime pro hac paterna fide, benignitate, & amore intimo quem mihi per vnigenitum filium tuum exhibuisti? nimirum si vel in tot particulas cor meum tui ob amorem singulis quibusque momentis temporis diuidi aut in puluerem contundi omnia ossa mea pollent, quot sunt graminis virentia corpuscula in terra & guttæ aquæ in

mari aut pulvisculi arenæ in montibus vallibusque, possentq; singulæ quæque particule sine cessatione tanta cum gratitudine te laudare, tam obtemperanter obsequi ac famulari, tam simpliciter obedire, tam digne venerari accollere, quam purè diligunt te sancti, nihil adhuc agerem.

§. 211. *Et angariauerunt praterentem quendam. v. 21.*

Quis mihi dicet, quæ, quanta & qualia acciderint in illa via? S. Scriptor, magna insinuat, cum illis omisis dicit, ipsas bestias miseratas fuisse Domini sic procedentis, ad Bellum contra Infernum & omnes pompas eius, nam angariauerunt hominem praterentem, ut crucem Iesu portaret. Hinc magnam intelligo miseriam, ubi talis affulget misericordia, si tamen hæc ipsa misericordia non sit nova molitio crudelitatis, non in subleuationem, sed ut citius venirent ad locum Crucifixionis, ne & forte Pilatus reuocaret sententiam. Certe valde attentum oportet esse, qui corda Hominum vult penetrare, eadem enim opera agit vnus, & peccat, & aliter, qui meretur; orat Pharisæus & lucratur damnationem, orat Publicanus & iustificatur. Misericordiam præstat Iudæus crucifigendo Domino, dum angariat Simonem, & peccat dupliciter, misericordiam exhibet S. Veronica, & consequitur gratiam.

Domine Iesu Christe, fidelis humanæ salutis amator, qui vniuersa mundi peccata super humeros tuos in Cruce portasti: fac nos, per hanc tuam infinitam charitatem & patientiam in tribulatione constantes, ut tanquam veri crucis amatores, in hoc signo vincamus, Amen.

§. 212. *Simonem Cyrenæum venientem de villa patrem Alexandri & Rufi. v. 21.*

Mihi multa in hoc Simone angariato occurrunt, quæ delectant & quæ terrent. 1. quod non est vllus, qui Domino sponte velit obsequium deferre. 2. quod ad eius obsequium homo angariandus est. 3. quod ad hoc opus angariatur præ alijs veniens è villa, 4. quod homo agrestis seu rusticanus, seu Colonus, & talia multa considerata mentem meam feriunt, inter quæ & illud est quod iste homo fuerit & dicatur Pater Alexandri & Rufi, & quod dicat Cyrenæus, ex quibus illud in genere consequor, vere dictum esse, quod gloria magna sit sequi Dominum. Ecce Simon iste angariatus ad portandam Crucem post Iesum, statim honoratur, & in toto mundo eius nomen, & patria, & officium & filij prædicantur.

O Diuinam bonitatem, quæ consueta opera sapientia tua referas, quando de malitia sapientiam, de nocendi proposito benefaciendi affluens.

affluentiam, de malo bonum, de peccatorum tenebris miserationis fecisti splendere lucem, atque de ipsa Crucis angaria spirituale contulisti Sacramentum. Quid igitur hoc Sacramento significasti? Sanctam necessitatem meliorem esse malitiosa libertate. Tu namque nos cogis ut voluntarios facias & necessitatem in virtutem commutas. Noli igitur Domine intueri meam magnam imperfectionem, sed tuam immensam bonitatem ac sapientiam: nec agas mecum pro desiderio meo carnali, verum pro tua sanctissima voluntate & animæ meæ salute. Tu namque melius nosti quam ego ipsemet, quid mihi expediat. Si igitur pertæsus dolorum non libenter patiar secundum sensualitatem, non hoc cures: sed semper diuina fiat voluntas ad gloriam nominis tui summam, & animæ meæ salutem, siue gratum siue ingratum carni meæ fuerit. Sed & amantissime Domine ac Pater, da mihi cum tempore illam sapientiam & fortitudinem, ut me ipsum vincens, in omni tribulatione tuam sanctissimam voluntatem cognoscam, donec extra me ipsum me recipiens ad tuam sanctam vñionem perueniam quo in omnibus tam aduersis quam prosperis, tam in dulcibus, quam amaris, tam in tribulatione, quam in pugna, tecum vñum efficiar, & post hanc vitam locum habeam ubi tu es omnia in omnibus & absterges omnem lacrimam ab oculis nostris, quo omnium malorum præteritorum oblitus, tecum tranquillitatem & pacem habeamus in perpetuum. Amen.

§. 213. *Vt tolleret crucem eius. v. 21.*

Cum viderent Iudæi & Carnifices Christum sub mole crucis non posse subsistere, sed supprimi, vulneribus lacerum, à planta pedis vsque ad verticem capitis, & ingentem crucis trabem grandem in eo facere exanimatione, & vulnera cum vulneribus confundere, aliquid non tam solatij, sed incrementi ad prolixiores dolores tolerandos obtulerunt, nempe baiulum crucis, quem sic intelligere possumus tulisse crucem Iesu, ut solus portaret, præcedente, vel protracto Domino ante eum, vel ut partem posteriorem portaret, priorem vero Dominus, vtraque consideratio habet suos defensores & Patronos. Ego eam præfero sententiam quæ cogitat Dominum sub parte crucis mansisse, ne probrum afferam Domino, crucis suæ in alium remissæ. Et quamuis eo pacto, parum solatij Domino videtur allatum, mysterij tamen multum assertur nobis, ut sciamus nos non nostra virtute sed Christi portare adiutorio & quidē uti præcipuo. Quidquid vero illud fuerit solatij secundum corpus, multo illud plus lancinavit Domini pijsimam mentem, cum vidit aliquem sua causa grauari. Solet hoc ingenuos animos valde excruciare.

T 3

Veni-

Venite iam fideles & in Simone Cyrenæo, obediētes: non casu sed de industria certa que Dei prouidentia disponente parati, occurrere ad ferendam Crucem quæ se nobis quocunque modo vel loco tandem obtulerit. Sicut enim in Christo summæ fuit obediētiæ Crucem tollere: ita & in Christiano. De villa venite, mundum contemnite, & apri eritis Crucis ferendæ. Omnes enim qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Accedens ergo, d fili, ad seruitutem Dei prepara animam tuam ad tentationem.

Venite etiam peccatores, venite otiosi, venite molles, delicati, & queruli, venite vos quoque pusillanimes varijs tentamentis distenti, & vacantes à serijs, quid statis tota die otiosi? tolle auare, ambitiose, & iniuste, sed pœnitens, tolle inquam clauem Dauid in humeros tuos, Crucis mysterijs insignitam qua tibi thesauri cœlestis facultas & in cœlum aditus datur, Tolle tuam, quisquis es, vt Christi Crucem, in qua temetipsum vt ouem perditam ad ouile reportauit & salua animam tuam. Angarieris licet vt Simon, excita te, aspice in consummatorem Iesum Christum.

§. 214. Et perducunt illum in Galgotha locum, quod est interpretatum, Caluaria locus. v. 22.

Postquam Sacer Scriptor descripserat, quomodo Novum Regem ad prælium eduxerint Milites, ipsum etiam locum in quo supremo conflictu cum hoste erat congressurus describit. Non fuit ille, vti solent alij Reges castra metare, aliquis campus spatiosus ad flunium vel aquas, sed montis vel collis vnde prospectus esset circumcirca in valles. In quo tamen nulla alia castra locanda erant sed mortuorum ossa, in quibus vigeat, imperium mortis, assumenda erant, vt in ipsismet cum morte, & Diabolo mortis auctore iniretur prælium. Qua in consideratione valde admirari incipio Dei sapientiam, qui talem elegit locum certaminis, & permisit, vt quod milites & hostes Christi, ipsi parabant ad opprobrium, hoc ipsum ei cederet in encomium & victoriæ incrementum.

Salue Dei sapientia, quæ attingis à fine ad finem fortiter & disponis omnia suauiter. Salue, salue, imo salua. Te eligentē Caluariæ locum, videmus nullū sapientius locum potuisse eligi ad vincendam mortem. Nemo hoc Philosophorum ingenio suo attingisset, nemo sapientium huius mundi. Vere tu es Deus noster, qui non solum eligis, sed & facis talia mirabilia.

§. 215. Et dabant ei bibere myrrathum vinum. v. 23.

Quid est hoc? quod statim mentione facta loci in quo erat inuentus conflictus, confestim fit mentio haustus? An quia milites, vt animos sibi addant

addant ante conflictum solent haustu largo in se excitare spiritus? & si deficiat haustus, ipsum puluerem tormentarium forbere vt accendantur in iras? Cedo, sed de Imperatoribus ipsismet & Ducibus belli, id non lego nec probo. Est autem iste, cui datur vinum myrrhatum Dux populi, Rex & Pugnator primarius, male igitur ei vinum propinatis milites, ipsi vos bibite. Imperatoris est vegeta & sobria mente persistere, vestrum est potare. Vt occupastis: nolite transfundere priuilegium vobis innatum. Sed quid myrrhatum vinum propinatis? cur non magis absynthiten? an vultis alludere ad munera Magorum, inter quæ cum nascebatur erat myrrha? an aliud quid intenditis?

O Saluator! quam caro tibi stant, filiorum hominum haustus! Tu in extrema siti tua, post tot effusiones sanguinis & tribulationes iustissime reficiendus non vino recreante, sed vexante potaris. O quam durus fuit tibi populus tuus hic Domine? tradiderunt obliuioni verba Salomonis dicentis: *Dare sceram moerentibus & vinū his qui amaro sunt animo.* Vbi iam illorum naturalis sensus & affectio humana, cum tibi Dño Deo meo in tanta miseria constituto tam acerbo poculo obuiarent? profecto peccata mea hunc populū indurauerunt, vt tibi esset tam amarus, peccata namq; sunt instar acetū, myrrhæ & fellis ori tuo benedicto: alioquin fuisset impossibile, q̄ adeo humanitatē exuissent, tibi Domino cœli & terræ tali tempore talem potū præbuisent. Alias saltem poculum aquæ frigidæ, quod bestijs terræ non denegatur, dedissent? Hinc cognosci licet, quod nos propter peccata magis odibiles coram oculis Patris cœlestis fuerimus, quam ipsa pecora campi. Verum cum nos diligeret, te vnicum filium suum pro peccatis nostris tam dire percussit, vt nos iterum in gratiam reciperet acceptam. Eia igitur Dominus meus & Deus meus, da naturalem affectum & intellectum rationabilem, ne amplius tibi propinem acetum felle mixtum, sed potum purum & putum tibi semper gratum offeram, ne propter me toties contristatus iam propter peccata & contumelias meas amplius affligaris, sed potius cordis mei sinceritate ac puritate, quantum in me est exhilareris. Da etiam Domine, vt horum reminiscar, quoties ex voluptate appetitus cibi aut potus præter necessitatem obrepit, ac tunc omni sensualitati ac voluptati plane moriar. Præcipue verò, vbi à te visitatus in morbum incidero, & gustus cum appetitu transibit, & omnia mihi cibaria ipsa mors videbuntur, tunc consolare me per hoc vinum myrrhatum aceto mixtum, quod tibi in maxima afflictione propinatum accepisti: quo tibi gratias agam, quod me dignum duxeris, vt tecum in tribulatione inueniar. Da insuper ne vllō cibo aut potū me ipsum oblectare studeam, sed cogitem mihi satis esse, si cor-
pus

pus hoc foetidum, ad gratum tibi obsequium praestandum, sustentetur pane arcto & aqua breui

§. 216. *Et non accepit. v. 23.*

An non potuit ob gutturis afflictionem, vel oris tumores, & laniam ex contusionibus varijs & colaphis impactis & arundinis percussione; ita ut & sanguine manaret & vix respirare posset? an etiam tunc se mortificauit? an Prophetiae gratiam ad occulta scienda in se vigere ostendere voluit? Deus nouit, qui ipsemet fecit. Ego quicquid causae subfuerit, scio pro peccatoribus, quorum primus ego sum, totum ita esse factum.

DEus meus laudabo te in vita mea psallam ore & palato meo, ori & palato tuo, quae propter me & peccatores omnes nos saeue sunt afflictata, ut ora nostra aeternis picis & sulphuris haustibus eximerentur. nolo iam amplius indulgere poculis, & sanitatibus insanis, cum videam tam amara medicina excessus nostros sanari.

§. 217. *Et crucifigentes diuiserunt vestimenta eius. v. 24.*

Ut primum ergo peruenit Iesus ad montem Golgotha, quod nomen Syrum Latino idiomate sonat Caluariam, inceperunt Carnifices ad instantiam Pontificum & Principum Iudaeorum Iesum crucifigere. Vide anima, ut irruunt in eum crudeliter & imperiose, extrahentes violenta vestimenta coagulata sanguine & quasi concreta cum corpore, ita ut renouarentur dolores, & vulnera, caro & curis sequerentur, non sine maximo dolore maestissimae Mariae Marris & suspirijs lachrymisque, quoniam praesens erat, & vi maxima & furore proiecentes eum nudum super lignum crucis quae iacebat in terra, crudeliter eum extendentes, & distrahentes strictissime ad formam crucis: Et quia fortasse prius perforauerant crucegem mali metatores & ad dicta foramina manus & pedes Christi pertinere non valebant, ideo fortasse funibus adhibitis distraxerunt corpus, ita ut iuncturae ossium eius dinumerari potuerint: iuxta id, quod praedictum est in psalmo, *dinumerauerunt omnia ossa mea.* Haec autem extensio violenta corporis Christi, quantum tormentum fuerit patet ex eo, quod refert Landolphus de quadam persona deuota passionis Christi, quae cum interrogaret Dominum quisei fuisset maximus dolor quem in cruce sustinisset? respondit quod fuerit extensio corporis sui: addidit quoque quod quicumque ageret gratias Christo pro illo dolore praestaret illi obsequium ita gratum ac si omnia vulnera unguento suauissimo deliniret: extensis ergo neruis, venis ac protensis ossibus & iuncturis benedico te Domine.

Ecce

Ecce, Domine mi, Saluator meus adoro te miserabiliter in cruce distentum, tanquam in equleo nouo vnde omnis SS. Martyrum confortata est imbecillitas, ad inuictum altissimi robur. Gratias ago tibi pro immensis beneficijs tuis, maximè dita in cruce extensione tolerata. Saluete membra cuncta corporis Domini, quæ à se distracta anhelabant ad se & prohibebantur venire ad se.

O Populi Christiani, caute ne iterato clauos Crucis Christi fabricetis, & manus atque pedes illius, denuo cruci affigatis. Clauos siquidem Crucis Christi fabricat, qui inter proximos discordias seminat, manus vero Domini videtur clauis configere, qui bonis sibi à Deo datis abutitur, se pascit, pauperes negligit. Pedes vero Christi clauis ferreis perforat, qui choreas & spectacula potius quam Ecclesias frequentat.

§. 218. *Diuiserunt vestimenta eius. v. 24.*

At quæ vestimenta diuiserunt cum Christus videatur vnâ tantam togam habuisse contextam acu & manibus B. Mariæ Virginis, iuxta id, *si quis habet duas tunicas vendat vnâ & emat gladium* si ergo Christus aliam togam non habuit, quæ vestimenta diuiserunt carnifices? an vestem albam ab Herode donatam? vel potius in signum derisionis Christo impositam? & vestem purpuream, cum chlamyde coccinea vel rubra qua donatus erat in aula Præsidis Pontij Pilati? quam forte per scurras tanquam ephcebos Noui Regis de ferri & præferri curarunt ad ludibrium, tanquam mutatorias. An per vestimenta forte intelligitur pallium & iudarium & sandalia? Deus nouit. Ego sic ratiocinor: si vestem vnâ tantum habuisset certe magnæ paupertatis exemplum dedisset, & hinc carnifices diuisores, dum diuisisse dicuntur vestimenta intelligendi essent, quod inceperint diuidere nempe affecta & cum viderent inconsutilem esse togam, ad sortes sunt conuersi. Aliter: Hi diuisores vestimentorum Christi erant personæ quæ stabant pro se & pro omnibus qui crucifixi Christi membris olim erant bona Christianorû, imprimis Ecclesiastica, Episcopatus, collegia, beneficia, & sacellanatus ac parochias in suam potestatem redacturi, & sic isti typice diuiserunt vestimenta, pro raptoribus bonorum Ecclesiasticorum & super vestem Domini historice miserunt pro se ipsis sortem. Si quis autem elingat sentire, quod Christus Dominus, non ita paupertino habitu sit usus quin honestum inter populares habitum, & eius accidentaria in pallio, in operimento capitis & pedum habuerit & ista dici vestimenta Domini, iste in persona Christi sæcularis cleri honorabiles habitus considerat, Quibus vt oculi sæculares perstringuntur, ita ueneratione ciuili tepidi sal-

tem imbuuntur & percelluntur maiestate Ecclesie, quam in vilibus lacernis monachorum riderent.

Optime fecisti, Domine Iesu, quod tuo sancto Euangelistae eam dictasti phrasim de tuis vestimentis & veste, vnde nequit vel gloriosus vilitate Cleri habitus redargui, nec monastica simplicitas excludi, vt nō ponat homo in habitu sanctitatis vim, sed in exercitio virtutis sub habitu latentis,

§. 219. *Mittentes sortem super eis quis quid tolleret. v. 24.*

Pulchre pro S Ecclesie usu euenit, quod isti diuisores sorte egerint, & ex sortis dictamine acceperint, vnus inconsutilem togam, alius alia vel apposita, vel deposita ab eo, qui solus inconsutilem obtineret, nam sponcione vel deposito quoque verificari potuit diuisio Vestimentorum, si non nisi vna vestis proponebatur. Sed quid hæc sortitio Ecclesie profuit? Ad illud, quod Ecclesia Christi intelligitur nunquam scindi posse, sed si quis se ab illa sequestrat, non Ecclesia scindatur, sed excrementum vel fecerui, vel putridum quid rescindi intelligatur. Scindi igitur nequit Ecclesia, quæ æternam manens, à Toga inconsutili est præfigurata, quisquis hanc scissam mentitur, ille inconsutilem vestem diuisam fuisse effingit.

ODulcissime Iesu, gratias tibi ago pro infinita tua liberalitate, qua pretiosis tuis vestibus meritorum tuorum vestire dignatus es nos qui te adeo ignominiosæ cruci affixeramus & magis quod Ecclesiam tibi constituiti sine scissura, sine macula, S. Rom. Ecclesiam, sub vno capite Vicario tuo vnitam, non sic synagogæ A catholicorum. Scinduntur indies & scinduntur in Arminianos, in Gommaristas, in Puritanos, in Caluino Papistas, in Vedelianos, & Apollonianos, in Calixtinos, in Hulsemannistas, in Rigidos, in molles & c. innumeras pestes, donec consumantur.

§. 220. *Erat autem hora tertia. v. 25.*

Hebræi diem in quatuor partes secundum initiales earundem horas diuiserunt, scilicet primam, tertiam, sextam & nonam, quarum quælibet ternas nostrates horas complectebatur. Prima incipiebat ab ortu solis, durabatque tres horas, quibus finitis incipiebat tertia, ac totidem horis durabat, scilicet vsque ad meridiem quando inchoabatur eorum sexta, & finiebat tribus post meridiem horis, cum incipiebat nona, durabatque vsque ad vesperam: Hora ergo tertia que est nona matutina apud nos Germanos, secundum Marcum, crucifixus est Christus per petitionem scilicet Iudeorum clamantium crucifige crucifige ad Iudicem, qui & eorum voluntati eum dedit ad flagellandum & crucifigendum, à quo tempore con-

tinuo quasi crucifixus fuit, flagellis, alapis, colaphis, illusionibus. Coronatione, spuris, maxime baiulatione crucis, donec immineret hora sexta qua ad Montem Golgotha perductus, ibi reapse crucifixus est, intra horam tertiam & sextam, more Iudzorum numerando, nostro autem more inter nonam & duodecimam.

Hinc iam patet quomodo concilianda sint dicta Euangelistarum aliorum cum hoc scriptore sacro. Illi hora sexta crucifixum referunt, nempe cruci clavis affixum; hic hora tertia, nempe per sententiam & baiulationem ligni addictum fuisse narrat. Ex quo vterius colligo, quod reuera etiam efficaci sententia possit aliquis occidere, quomodo & alias ipse Dominus dicebat, videntem ad concupiscendum, iam esse machatum scilicet in corde, destinatione proposito fixo, continente in se eminenter vel virtualiter factum.

Donec Iesu, à prima dici vsque ad vesperam non cessas operari salutē populi tui, in laboribus enim pro eo à iuuentute tua es, & ego miserrimus peccator non cessavi operari malum, ab eo tempore quo potui peccare, heu mea culpa, heu! ne repellas contritum & humiliatum, qui nomen tuum suppliciter inuocat. peccatorem me confiteor, obsecrans te, Domine Deus Omnipotens, pro bonitate tua vt faciās mecum iuxta magnam misericordiam tuam; quoniam Deus es tu bonus & misericors ac patiens erga nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerſi.

§. 321. Et Crucifixerunt eum. v. 25.

Ab illa scilicet hora tertia nostra nona antemeridiana quâ clamarunt optioe data inter Christum & Barabbam latronem, tetrum suum crucifige quos si quid truculentius postulare potuissent, id certè non omisissent. impletum est ergo, fecerunt in Domino, quæcunque voluerunt Pilato ad iudicante fieri petitionem eorum.

Considera hæc o homo Christiane intuere manus quæ cœlum in sapientia fundauerunt, quæ compeditos soluere, elisos erigere, suisque contactibus vniversos solebant sanare, etiam in crucis patibulo distenduntur. Pedes quibus se mare calcabile præbuit, quorum scabellum adorandum erat, pedes, inquam, qui non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege Domini, clamorum acumine perfodiuntur, corpus purissimum in quo thesaurus totius gratiæ seruat, penitus denudatur & durissimo ligno affigitur. facies speciosa præ filiis hominum quæ afflictos & tæcærentes omnes consolabatur: facies in quam Angeli desiderant prospicere in pallorem horridæ mortis commutatur. Quid com-

misisti dulcissime Iesu ut sic iudicareris, adeoque crudeliter tractareris. Quod scelus tuum? quæ culpa tua? quæ causa tui doloris? Ego, Ego causa sum omnis tui doloris. Ego vnam acerbam comedi & dentes tui obstupuerunt. Imo etiam ego miser nunc rideo, garror, lætor, pergræcor &c. dum tu pro me ploras, tristaris, pateris, sis &c. festino ad gaudia, dum tu cruci pro me affixus pendes: caput orno, vngo, & adscitis capillis adultero, dum tu spinis insignitus. Manibus etiamnum impie ago. quasi non plus latius peccatum sit, dum interim innocentissimæ manus tuæ pro me ligno configuntur. O ingratitude nullum non supplicio dignam! Vere dictum est à quodam, impius seu peccator aut infidelis est aut stultus.

Domine Iesu Christe fili Dei viui qui pro redemptione mundi natus & circumcidi voluisti, & à Iudæis reprobari, à Iuda osculo traditi, capiti & ligari, & cum vinculis Annæ, Caiphæ, Herodi, Pilato offerri, coram eis illudi colaphis, alapis, flagellis arundine cædi, facie velari, & sputis conspui, spinis coronari! falsis quoque testibus accusari, iudicari, & ut agnus innocens tuam crucem, ferendo ad victimam duci, clavis perforari, felle & acetum potari, atque in cruce morte turpissima condemnari, ac lancea vulnerari. Tu per has sacratissimas pœnas tuas ab omnibus peccatis & pœnis nos libera: & per sanctam crucem tuam illuc perduc, quo perdidisti tecum crucifixum latronem sero pœnitentem. Amen.

§. 322. *Et erat titulus causa eius inscriptus. v. 26.*

Quid Titulus? Norunt Iuris-Consulti. Philosophi & Grammatici. Nomen, cognomen & dictum comperens rei vocant, sed cur titulus causæ nisi ut omnibus patefieret habitantibus in Hierusalem, & qui e venerant ex omni parte mundi, iam Iudæis quam gentilibus Christum hunc magnum Prophetam & iam notum orbi terrarum, ob magnalia Dei, quæ operabatur, fuisse & esse eum qui in scriptura proposita legebatur. Erat iste modus præscribendi valde Iuri & rationi conformis. nam ex eo tota actio & processus & confessata rei innotescebant, & non relinquebatur arbitrio Hominum male vel bene de reo loquendi, præter id quod erat præscriptum. Et perseverat hodie in Oriente hic modus, ut titulus præferatur damnatis ad mortem, qui utinam apud Christianos restituatur vel in vltum inducatur. Certe tam enormia mendacia & infamations passim non audirentur & impune quidem. Venit mihi hæc meditati in mentem, quod Iacob visa scala ex terra in cælum porrecta, erexit altera die eo loco lapidem in Titulum, nempe locum memorialem, insignem, sacrum, & effudit oleum desuper, Rursus eum acervum lapidum in testimonium inhi-

cum Laban fœderis fecisset vocavit illum (titulum) & cum Deus locutus esset Moyli & 70. senioribus duodecim titulos erexerunt: & quod Deus in Leuitico idololatriam damnans prohibet titulos Dijs excitari dicens, *Nec titulos erigite, & libro Numerorum ere & os confringi præcepit, Confringite, inquit, titulos & statuas*) Cum igitur Crux locus sacer sit, & velur altare sanctissimum in quo Christus Dominus quasi Summus Pontifex, & missus seu Orator, Deum Patrem placat, & vt Sacerdos sacrificium offert, merito eius actionem istam placatoriam Missam, vt ipsummet Missum vocamus. Huiusporro Missæ primæ *Introitus* fuit per Incarnationem; Gloria in excelsis Deo, data est per natiuitatem: *Collectæ* primæ erant Orationes cum pernoctabat orans in desertis: *Lectio* Epistolæ, erat declaratio Legis & Prophetarum, Euangelium quando diuinam illam doctrinam quam à Patre conceperat, euangelizabat; *Offertorium* eius fuit in hortu sui oblatio, & quæ vsque ad *Sanctus* sequuntur erant acta in domo Pontificum. reliqua quæ in Canone dicuntur & fiunt, fuere ea quæ in Pilati & Herodis curia sunt gesta, donec ad eleuationem Hostia Calicis venitur, quæ duplicem Christi ad populum ostensionem, *Ecce Homo*, & *Ecce Rex*, in memoriam reducant. Omitto cætera Passionis Dominicæ momenta, quæ exactissime in Missa hodieque repræsentantur.

O Peccatores adeste, posthac diligentius sacrificio Missæ. ibi salus vestra agitur quos iusta Dei deterrebat offensa queis nulla spes veniæ suppetebat. Ecce iterum scala Iacob erigitur, cum Missa celebratur & in ea Christi viuifica memoria renouatur. Videtisne descendentes ascendentesque per hanc Angelos? videtisne Dei filium in Sacerdote quouis sacrificantem? misericordiæ viscera, gratiam cœlestem per hanc ad nos placide delabentem, vt nos per eandem ad veniæ, gratiæ, gloriæq; thronum ascendere faciat. animæ quioreste. Ecce placatus per hanc actionem, per hunc titulum Dei vultus inuitat nos, rotaque cœlestis curia nos expectat. In hoc igitur titulo gaudete, congaudete & congratulamini & tanquam de incomparabili thesauro reperto exultate in lætitia cordis vestri magnificantes Deum qui est.

§. 223. *Rex Iudaorum. v. 26.*

Erigamus hic paululum oculos ab imo ad summum ac legamus hunc titulum in Cruce positum intelligemus quo id spectet? at quo? ad Regiam Christi paupertatem? nunquam enim Dominus Rex vocatus est vel agnitus, nisi vbi paupertatis singularis erat species vel ostentatio Nato in stabulo & posito in præsepio, statim tres ab oriente Reges adfuerunt, qui

qui & palameum Regem vocarunt. Ingressus est Hierosolymā asino insidens ut pauperculus, acclamari cœptum est: *Osanna, filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Sed nunquam ita pauper vilis est atque cum in cruce nudus pependit. Hinc valde diserte pronuntiatus est Rex, non enim tantum voce à latrone Rex salutatur, sed scripto eoque publico à Præside Romano appellatus est. Quis iam non videt, isto pacto Dominum indicare voluisse verum esse sermonem suum, quem initio Evangelicæ prædicationis, uti paradoxum; attamen verum proposuit: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorum: Ergo Rex est qui paupertati studens omnia à se abdicat, omnibus se exuit, seu solo affectu, siue etiam re ipsa? omnino, quid enim aliud? an non illa vox vere regia est. Ecce nos reliquimus omnia. Quis enim ita loqueretur, nisi qui omnibus etiam sibi ipsi dominaretur? & quod plus est pro libitu suo ludibrio haberet ac longe à se velut calce propelleret. De eiusmodi homine dictum est, *omnia subiecisti sub pedibus eius.* Nam qui diuitias rem magni æstimandam putat, hic seruus est, & de ijs sollicitus est, eas profecto non sub pedibus sed supra caput & cor habet, & premitur & vexatur. Similiter accidit his, quorum Deus est honor temporalis, aut voluptas peritura. Serui sunt omnes qui ista vel vnum eorum magni æstimant, se vero paruos.

Egredimini igitur filie Sion & videte Regem Salomonem in diademate qua coronauit eum mater sua in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius. Intuemini thronum hunc maiestatis eius in terris ex quo regnat, ligneo quidem sed mox inaurando & gemmis includendo osculandoque. legite & intelligite scripturam in hoc throno affixam: *Dicite omnes & singuli Christiani Tu es ipse Rex meus & Deus meus qui mandas salutes Iacob, quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos. Te imitari, tecum pauper si non re ipsa & exterius, saltem affectione interna desidero: regnum tuum non est certe de hoc mando, quia Reges Terræ non solent tali pompa comparere.*

§. 224. *Et cum eo crucifigunt duos latrones. v. 27.*

Obstupuit Propheta & expauit olim, quando in spiritu vidit Deum, factum hominem & iacentem in præsepio inter duo animalia: quomodo quæso expauisset, si eundem aspexisset pendentem in patibulo, in medio duorum latronum? Sinamus Prophetam apud præsepe, nos, nos ad Caluariam ibi dignior materia expauescendi. Quid enim sibi vult sanctus vitæ author, inter latrones? Plura hic nec ratio, nec os finit. Satis cogitavi cum hoc cogitavi, & dixi cum hoc solum dixi. Inter duos latrones,

O Deus

O Deus humilis & mitis ! quem nostrum non mordet si in conuiuio paulo humiliore loco sedere debet propter honoratiores se, quis in scholis non horret sedere in inferioribus scamnis ? quis in catalogis nominum, non auersatur inferiore loco etiam iure suo collocatus legi. Quis nostrum non agit Pompeium magnum, nolentem ferre parem ! quis non & Cæsarem, non valentem ferre priorem ! Ita Pompeios agimus & Cæsares, Christum agere, & representare, quis in animum inducit ? Ego vobis mortales præeo in confessione, agnosco culpam meam agnoscite & vestram, & vna glorificemus humilem Christum, illum honoremus, illi diuitias & honorem afferamus, ille meruit. Gaudere etiam latrones, gaudete Meretrices & quotquot estis peccatores, & gloriamini in hoc vestro Principe : is est nempe qui vos inuitauit, vos recepit, manducauit vobiscum & amicum se publicanorum effecit : non enim iustos sed peccatores venit vocare ad penitentiam : docturus nimirum meliorem vitam & ducturus ad vitam. Salue bone Iesu, pie ac gloriose latronum susceptor, salue agne mansuetissime luporum reconciliator, cum agnis. Salue fili David rex Israel verum refugium, verumque solatium omnium, qui in angustia sunt constituti, ære alieno pressi & amaro animo. En recipis omnes imo trahis ad te & alligas imo clavis affigis iuxta te, ne recedant à te. Salue.

§. 225. *Vnum à dextris & alium à sinistris. v. 27.*

Quare hoc ? vtrique propter mysterium, nam in hoc mundo omnes cum Domino crucifigimur & mortificamur totis diebus : sed non omnes à dextris domini. A dextris Christi crucifigitur qui per crucem huius sæculi non infatuatur, non sordescit, sed purgatur & efflorescit. Sed non omnes audiunt vel intelligunt hoc mysterium collocant se vel collocantur, ab alijs ad sinistram : ibi in sua cruce Deum blasphemant, ibi proximo maledicunt, ibi occidunt nocentes sibi sine sententia : ibi regna aliena inuadunt sine titulo vero : ibi fortunas proximi rapiunt : ibi commissa sibi negligunt, non commissa defendunt, ecce duorum latronum mysterium magnum in omnium talium, crucifixorū pro suo merito personis, medius pendet Christus, illos vt sanctificet plus, hos vt corrigat in melius.

Domine Iesu, intelligo, quod sum reus mortis, sum filius latronis Adam & postea latrocinatus sum more & exemplo patris mei, captus sum, in carcerem è paradiso abstractus sum, ibi pœnas do. Sed ecce, colloco me ad dextram tuam, volo esse patiens, volo in patientia mori, nolo Deo irasci, quod velit Adæ posteros mori. Adiua me obsecro Domine Saluator meus in illa hora & fer mihi opem in lecto doloris mei.

§. 226.

§. 226. Et impleta est scriptura qua dicit: Et cum iniquis reputatus est,
v. 28. ex Isaia. 53. 12.

Multa scripta sunt de Domino quia praeuisa erant futura, in tempore & ideo scripta erant nobis ignorantibus futura, ut sciremus esse futura, quae uti successiue facta sunt, ita successiue compertum est veram fuisse scripturam istam, & impletam esse eandem inter futura, in ista erat etiam, quod cum iniquis esse reputandus sanctus sanctorum. Et hoc tunc impletum est in capite, & hodieque impletur in eius membris. Quomodo enim non? Ecce in Britannia perduellis reputatur, qui Sacerdos est per potestatem emanantem à Christo, in carceres latronum derruditur, peius illis habetur, suspenditur, strangulatur, in quatuor partes secatur, suspenduntur membra ad terrorem, nunquid non hoc iniquis reputari sanctos! Est sane, ita ut qui ista faciunt in sua mente negare non possint. Sed Legibus regni se ita cogi dicunt. Veruntamen siue legibus illis, siue libitu viuentium ita fiat, cum iniquis reputatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

O Vos omnes Sacerdotes qui non solum in Britannia sed vbique terrarum persecutionem, patimini, vos nunc absens alloquor, coronae vestrae cupiens particeps esse. Ego vos consolor, quia quod in capite praesens sit, in vobis tanquam praestantissimis membris inolescit. exercui rabiem suam in capite Tyrannus inferni, exercent in vos saevitiam suam eius ministri. maeste animo magni viri non sit vobis graue inter fures suspendi, causam vestram discreuit Deus. Ille super vos iam Titulum posuit *Amicus meus fidelis ad mortem*. Felices vos, qui de naufragijs vitae praesentis ad tanta gaudia iam peruenire meruistis cum latrone in dextra posito: Infelices qui cum latrone in sinistra: infelices & heu nos, & qui adhuc per huius maris magni fluctus, procellosasque voragines nauem trahimus, ignorantes an ad portum salutis perueniamus. Infelices inquam quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum quia omnia in futurum. O patria nostra, patria secunda à longe te videmus, ab hoc mari te salutamus. ab hac valle ad te suspiramus & nitimur cum lacrimis si quomodo ad te perveniamus. Spes humani generis Christe, Deus de Deo refugium nostrum & virtus cuius lumen à longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellae maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad portum. guberna Domine nauem nostram tua dextera, clavo crucis tuae, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquae, ne nos absorbeat profundum: sed vinclo crucis retrahere nos ab hoc pelago
ad te

ad te solamen vnicum nostrum, quem à longe quasi stellam matutinam & solem iustitiæ lacrimantibus oculis in littore cœlestis patriæ nos expectantem vidimus. En ad te clamamus redempti tui: sed adhuc exules, *Exaudinos Deus salutaris & spes omnium finium terra & in mari longe.*

§. 227. *Et pratercuntes blasphemabant eum. v. 29.*

Non satis erat infernis potestatibus & inuidis Ministris earum, corpus Domini affixisse cruci, ad dolorem mortis, reputasse cum iniquis ad contemptum supinum, & spoliasse ad nuditatem, sed, ecce vulnerant animam eius blasphemijs, contra Deum dictis.

O Ingratitudinem dum in ipsa actione est, vt nos saluet, & redimat à faucibus diaboli, mortis, inferni, perpetuis carceribus, & tormentis: ibi dantur Christo pro gratia, & compensa, iniuriæ, blasphemie, mendacia, obiectiones, ludibria, & irrisiones beneficiorum eius. O Patientiam, qua maior non apparuit in orbe Terrarum.

§. 228. *Mouentes capita sua. v. 29.*

Quantum ex textu Euangelistarum colligere possum, quatuor erant differentie hominum peruersorum illudentium Christo. primi *sedentes*, qui eum obseruabant donec expiraret, ne euaderet, aut ne aliquis eum viuum de cruce deponeret. Secundi erant *pratercuntes* qui eum blasphemabant, hi enim erant omnis generis homines de ciuitate in ciuitatem Hierosolymorum properantes, rustici & vulgares homines qui circa locum crucis & præsertim ante oculos Christi transibant fortuna ita ferente, vel sponte oberrantes, vt otiosi. Tertij erant *stantes*, quarti erant *pendemes*, vt latrones, de quorū numero in Matthæum scripsi §. 221. Itaq; non solum ab omni generis hominibus cruciatus est Dominus, sed etiam in quolibet situ eorum, vt plenissima esset nostra redemptio. & hi omnes suos peculiare, præter communes modos cruciandi Dominum adhibuerunt, quasi certantes quis acutius posset Christum torquere.

Iesu bone Domine, vt video aggrauatum est prælium contra te, inueniuntq; te sagittarij & vulnerauerunt iaculis. Ita est, sane: sed nisi prius amore salutis vestræ sauciatus fuisses, nunquam te malignantiū tela iaculari potuissent. Nunc autem in gratiam nostri, temetipsum Patri cœlesti, obtulisti, qui hanc eis ad horam fecit potestatem, vt reduceretur per te, quod erat alienatum à te. Fecisti quod faciunt quorum cutis in manu adusta est aliquantum casu. Isti carnem læsam amplius foco applicant & dolorem

mortificant. Laeta erat diuinitas peccatis nostris, Ecce magis se eisdem obiecit & saturata opprobrijs placata est nobis.

§. 228. *Et dicentes. Vah qui destruis templum Dei & in tribus diebus readificas? v. 29.*

Nunquid imprimis acuta tibi sagitta videtur, qua Christi diuinitatem attingunt, eumque mendacij arguunt, cum verbo execrationis *Vah*, quasi non sit dignus vt eius vltra verba audiantur, qui Principes Iudaeorum & populum ita clarè decepisset in verbo, quod vellet vti Dei filius, potestate sua diuina, Iudaicum templum tot annis, per mille operarios tractum, & sumptibus ingentibus paratum destruere, & in triduo readificare aliud nouum, tam pretiosum, & pretiosius forma & materia, & ornatu, & iam cum dedecore, cum mendacijs suis properaret ad mortem, sine effectu verborum suorum!

Quantum Christo Domino dolorem afferebant blasphemiae haec, quas audiebat, & simul peccata omnia praeterita, ac futura quae praesentia habebat! tanta enim erat perfectissima eius sapientiae cognitio, quae eadem & agnoscebat, & quam mala essent & dolore ac tactu digna intus perspiciebat. Qui dolor ex parte superiore in inferiorem deriuabatur, & inferior pars miserabiliter dolens in superiorem partem refundebat, praesertim cum ipsius tam delicata, & perfecta constitutio esset, vt plus in pleuissimo ictu laederetur, quam aliorum aliquis grauissimo ictu nihil potest dici ad rem hanc exprimentam aptius, quam quod dixit Isaias, qui eum vocat: *Virum dolorum*: ac si diceret virum ex doloribus conflatum virum ea temperatione & constitutione totius corporis quae ad omnes dolores sentiendos aptissima esset, vnde & addidit (*scientem infirmitatem*) hoc est qui experimento omnes dolores sciret. *Didicit enim ex his quae passus est obedientiam, factus obediens in tormentis, & victima* atque holocaustum Deo Patri, non igne visibili, sed inuisibili doloris incendio omnes artus, compages, fibraeque de pascente.

§. 229. *Saluum fac te metipsum descendens de cruce. v. 30.*

Valde penetrabile quoque est spiculum hoc, quo Christi diuinitatem lancinantes dixerunt, *saluum fac te metipsum descendens de cruce*, scilicet si filius Dei es. Ecce filij diaboli imitantur hic patrem suum, qui similiter dixerat *si filius Dei es mitte te deorsum*, vtrobique maligna suggestio, nec enim quis filius Dei erat descendere debebat de cruce, sed vsque ad mortem in illa permanere, vt superando mortem illud adimpleret, *Era mors tua o mors, nec descen-*

de ascensu de cruce, sed ascensu de sepulchro se filium Dei debebat ostendere. Si adhuc generatio prava & adultera signum quærit, non dabitur ei signum nisi Ionæ Prophetæ. Bene igitur S. Leo eos sic alloquitur De quo erroris fonte Iudæi talia blasphemiarum venena potastis? quis vobis magister tradidit? qua doctrina persuasit? illum Regem Israel credere aut filium Dei, qui se crucifigi non sine pheret, aut à confixione liberū corpus excuteret? non hoc vobis legis testimonia aut proptarum ora cecinerunt. Non legistis sane: Dominus descendit de cruce, sed Dominus regnavit à lingno. Hæc S. Leo: addit S. Hieronym. Quid plus est de cruce adhuc viuentem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit & non credidistis, & si descenderet non crederetis: vere non credidissent tunc, qui nec hodie credere volunt te verum Dei filium, omnipotentem, Messiam missum à patre ad tolerandum totum genus humanum à vinculis diaboli & potestate, vixi tot mirabilibus.

NE igitur descendas, bone Iesu, de cruce, sed potius preces cordis tui sursum tendant pro nobis ad patrem: Innocens hic sanguis tuus conciliet nobis patrem, & de cruce interpellet pro nobis: atque demum etiam ipse ascende post mortem tuam patrem in cælum.

§. 230. *Similiter & Summi Sacerdotes illudentes, ad alterum cum Scribis dicebant. v. 31.*

Videntur hi Sacerdotes & Scribæ satis obtusi ingenij fuisse, qui illudenti formulas ab ipsa plebe accipientes imitati sunt, satis magno stupore, qui in plebe ignorante scripturas poterat tolerari. Idem est hodie genus Ministrorum verbis: hi à plebecula quæ audierunt contra Catholicos Romanamque Ecclesiam dici ut gemmas colligunt & in libros suos infarciunt, Misera cerebella, sed vti isti toleranda, donec Deus exerat iudicium & vel de malis faciat bonos, vel malos male perdat.

Omnipotens misericors benigne Deus ac Pater te humiliter per hunc principum, Sacerdotum & Scribarum in lege & populi errorem, & tui vilipensionē, oramus vt eos & omnes qui ab orthodoxa Catholica & veritate recesserunt, aut alioquin in articulis, quibusdā hallucinantur, errant, & falsa persuasione seducti sunt, paterne visites numinis tui radijs corda ipsorum illustres, ipsoque reuoces ac reducas ad erroris sui agnitionem vt sic conuersi, vnicam, veram Catholicam & Christianam fidem, cum vniuersa Ecclesia & Communione ad ipsorum salutem perpetuo retineant, ore profiteantur, & factis ipsis demonstrent, vt te vnum Redemptorem & Pastorem vnanimis in vno ouili audiamus & sequamur.

X 2

§. 231.

§. 231. *Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere. v. 31.*

Virulenta etiam hæc sagitta est. nam Domini beneficia prædicat in alios, ipsum iugulat, quid dicam? Hoc. Habent homines morem pungendi alios acute dictis, ita ut facetijs suis occidant, omnes has strophas & verbotum insidias Christus hodie expiat, posuit se ut signum in quod sagittarent omnes qui vellent, ut hoc patiendo deleret omnem irrisorum nequitiam, irrisos confortaret.

Domine Deus, tu scis & audis qualia contra seruos tuos maximè Sacerdotes & clericos & religiosos garriant mali Catholici, & peiores his errantes populi, & pessimi ministri hæresum satores, mendaces in linguis suis. conforta obsecro seruos tuos ne pusillo sint animo, & serua plebem ne his calumnijs intendat uti Euangelij verbis.

§. 232. *Christus, rex, Israel descendat nunc de cruce, v. 32.*

En quam exitiale iaculum! quam liuidum! per illusionem & contemptum vocant ipsum (Christum) id est vinctum Domini, vocant ipsum Regem imo Israelem, quia ipse dixerat, se Christum Domini, Item Regem, item videntem patrem suum Deum, quem Iudæi ignorarent, Hæc nunc amaro animo ut confessata impingunt, sed malas eliciunt sequelas, de descensu, illa ex ore veritatis, hæc ex magistro mendacij garriebant.

Domine Deus video te ad omnes exprobrationes hodie tacere, quasi mutus esses factus, Hoc silentium reuera fuit valde arduum quia in tali occasione solent homines dicere se non posse tacere, Gratias igitur tibi Domine debeo, qui me exemplo tuo docuisti, & merito confortasti, ut vbi nihil prodest loqui, possim tacere.

§. 233. *Ut videamus & credamus. v. 32.*

O principes Sacerdotum! quam vos stupide loquimini. ecce dicitis *ut videamus & credamus.* estne hoc rationabile? Itane cæci estis, ut vbi visio est, fidem promittere audeatis? Video satis certo iudicium commune vobis deesse, quomodo vos in subtilioribus eritis discreti? Talia tamen etiam hodie loquuntur homines. Ostende mihi Christum in Eucharistia & credam, ostende purgatorium & credam. Patet ergo ex qua vtrique sint Schola.

Omnipotens sempiternæ Deus qui saluas omnes & neminem visperire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant

deant unitatem: qui etiam Iudaicam perfidiam à tua misericordia non repellis. Exaudi preces nostras quas pro illius populi occacatione deferimus vt agnita veritatis tuæ luce quæ Christus est, à suis tenebris eruantur.

§. 234. *Et qui cum eo crucifixi erant, conuitabantur ei. v. 32.*

Sive vnus personaliter, plures tamen repræsentans, siue multæ personæ fuerint, quæ conuitabantur. Sat multi erant, & nimij erant. Habet hic mos humanus, vt si quem videant premi, facilem de eodem sibi triumphū polliceantur ignobiles animæ, & accurrentes etiam ipsi vrgeant. Faciebant hoc Ministri verbi illi, qui Martyri in Equuleo insultabant, quasi non satis esset distentus manu carnificis.

O Anima mea noli sic insanire, & bruta fieri, vt vnquam homini afflicto addas afflictionem. Misericordiam potius exerce, consolare, ostende te compati. Hoc humanum est, imò & quarundam ferarum, quæ passæ feræ & gementi compatiuntur.

§. 235. *Et facta hora sexta tenebra facta sunt per totam terram, vsque in horam nonam. v. 33.*

Intellige horam sextam more Iudæorum nempe meridie. impleta est tunc Prophetia, & obtenebratus est sol vel occubuit eis in meridie, erat autem in Hispania & vicinis locis Hora nona ante meridiem, in occidua India Hora sexta matutina, in extrema India orientali hora tertia post meridiem, & sic omnes orbis partes potuerunt videre obscuracionem solis insolitam.

In his tenebris vere poterat dicere Sponsa Sponso suo, ostende mihi vbi pascas vbi cubes in meridie, & ego & quiuis Christianus dicat, ostende obsecro Domine crebro memoriæ meæ, vbi cubaueris in illo meridie, quando tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: nempe crucifixionis tuæ cogitatio subeat, cum meridie pulsatur ad signum salutationis Angelicæ.

Potes igitur Christiane in meridie honorare passionem Domini hoc vel simili modo 1. Tenebræ factæ circa horam nouam, cum penderet in cruce Dominus. Ave Maria &c. 2. Et circa horam nonam exclamauit voce magna. Ave Maria. 3. Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Ave Maria &c. Credo enim magni esse meriti Indies illo vel simili modo meminisse mortis Domini.

§. 236. *Et hora nona exclamauit Iesus voce magna. v. 34.*

Iesus tendens ad occasum vitæ, circa terram post meridiem, condi-

turus testamentum ad patrem conuocando quodammodo omnes creaturas in testimonium suæ acerbissimæ passionis & mortis quam patereetur pro omnibus reficiendis maximè rationalibus exclamauit vt *attenderent, & considerarent, si est dolor sicut dolor eius.* si non superque satis fecisset pro ijs redimendis, si quid deesset, & si quæ sanguinis gutta superesset, paratum ad huc se pro illis effundere, ex puro amore cordis quò diligeret salutem & vitam hominum.

O Redemptor meus, quomodo potuisti, tam magna voce clamare, ita exsuccus, ira exhaustus! credo quod tua diuinitas supra omnem naturæ modum sustentauit, & animauit humanitatem illam suam, alias mille fuerit exanimanda. Quid igitur dicam? quid gratiæ tam copiosæ redemptioni rependam? Sperabo in te non frangar pusillanimitate, dicam mihi: Apud Dominum misericordia & vere copiosa redemptio.

S. 237. *Dicent: Eli Eli Lamma Sabachthani. Quod est interpretatum Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me. v. 34.*

Ego audiens ista clamasse Dominum & timeo & gaudeo. gaudeo, quod pro me Saluator tam dura sustinuerit, vt ad talem clamorem sit adactus. Timeo, diuini iudicij altitudinem & profundum, qui tam seuerè in dilectissimo filio suo peccata nostra castigauit. Quid igitur faciam? pauper & tenuis sum ego, & sapientia Hominum non est mecum.

Ego pactum hoc hodie tecum paciscor Domine mi, vt quoties in missa vel ipse dixerò Pater noster, aut cæta uero aut cantari ab alio audiuero, semper hæ septem petitiones sint memoria Sanctorum verborum tuorum septem in ara crucis prolatorum; & cum patena me signa uero & vultum sic operuero tunc repræsentem populo tenebras factas super vniuersam terram.

S. 238. *Et quidam de circumstantibus dicebant. Ecce Eliam vocat. v. 35.*

Inter cætera tormenta quibus homines se affligunt etiam est illud, quod verba vnius alter detorqueat longe aliter, quam loquens intendit & iocum risumque ex tali detorsione captare intendit. Hoc fecerunt in Domino illusores. Eloi, flexerunt in Eliam, quasi Deo deserto iam non illum amplius invocaret, sed vnum ex sanctis, Eliam scilicet. Faciunt hoc hodie quoque membris Christi desertores eius. Si quis dicit S. Maria ora pro me apud Deum, illum calumniantur deseruisse Deum, confregisse ad sanctos, cum & Deum retinuerit & SS. non abnegarit.

Deus

DEus meus, nolo aliorum verba torquere in sensus deridiculos, video hoc facere ardeliones & scurras. Video quod id faciant hæretici nostri Reformati. Si hi audiunt Missæ nomen, ridicule carentiâ ex Germanica lingua effragunt, si nomen presbyteri, aiunt eum ter præbiberi oportere. Sic illi omnia sacra profanant & uti Harpyæ conspurcant. In consilium eorum non veniat anima mea.

§. 239. *Currens autem vnus & implens spongiam aceto circumponensque calamo. 36.*

Vel ex ipso vocis Dominicæ tono, vel quod statim quarto verbo Dominus adiunxerit quintum verbum (Sitio) vnus præsentium accepta occasione potum ei præbere, ope spongiæ in altum elatæ per calamum intendit, & ideo cucurrit ad acerum accipiendum. Bona, an illusoria intentione non audeo determinare. Vereor tamen vt peiore mente fecerit, nam acetum non tam sitientis potus est quam adiumentum, & confortatio deliquitæ patientis. Vereor igitur ne iste currens ad acerum de se promat iudicium quod apprehenderit Dominum alienatum a sensibus, quædam esse locutum & huic loquelæ iaculare remedium attulerit, vel afferre velle ostentat.

Vere grauiâ sunt omnia quæ Dominus in carne tulit. Sed reuera grauiora sunt diætaria, quæ Dominum in spiritu afflixerunt. Mauult homo honestus centies pulsari in carne, quam sic vexari secundum intelligentiam. Heu quantos hodie inuenire est, qui pene pro nihilo ducant Deum non solum per gulæ vitium offendere sed etiam ludere. Ecce indulgentias, qui contemnunt, hi indulgentijs, quando de excessu in potu agitur, vtuntur. An non hoc est currere ad acerum? certe est falsum acetum. Hoc tamen aceto fere indies perfundunt Deum. sacra, & personas sacras nempe, deridicula faciunt, & ioculares risus ex religionis negotijs. Ignosce eis, Domine, quia nesciunt quid faciant.

§. 240. *Dicens: finite videamus. si veniat Elias ad deponendum eum. 7. 36.*

Nesciebam antea quid sibi vellet iste acerarius currendo & spongiam implendo bono an nequam spiritu curreret. Iam ex verbis eius capio, quis sit ardelio, nam vt i autis ex cantu, ita hic ex tono verborum suorum æstimatur. Intelligo enim, quod illo currente, & spongiam aceto implente, & reuertente cum calamo armato spongia iocum fecerit totalibus, longissimi vitæ formam Domino bibituro offerre voluerit, socij autem eum rogauerint, tenuerintque ne tam grandi haustu impotentem oneraret. ille nauo ioco se opposuerit deprecatoribus, dicens: se haustum confortato-

rium

rium offerre, quo Dominus vitam possit prorogare donec Elias le ad se accingat, & veniat ad liberandum eum qui se invocasset: quasi per hoc verbum inuocasset Dominus in cruce Eliam Prophetam in sui occursum & subsidium, ideo & clamat ad populum circumstantem ironice dicens: *nite & c.*

Impie crudelis & dire fuscifer siue Iudæus, siue gentilis miles fueris, tu irrisorum Domini vnus es ex nequissimis plus tibi non repono sed dico, Ignoscat tibi Dominus, si es in statu in quo misericordiæ es capax.

Console interrim, ô S. Mater Ecclesia, quod tuo Sponso Iesu Christo ceuenit, vt ioculariter res eius omnes deriderentur, id hodieq; tibi contingit. Console, conolare, assimularis Domino suo, eadem purpura, eadem corona, eadem alba veste indueris. ridentur sacra tua, sabbatha tua, cæremoniæ tuæ. noli tristari pro te, sed dole pro eis qui ista agunt in te, filij nequam. Erit merces patientiæ tuæ.

§. 241. *Iesus autem emissa voce magna expirauit. v. 37.*

Qua voce? Illane Eloi, Eloi: at ea quarta vox fuit, an igitur omnes voces eius *Sitio, & Consummatum est, & Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, magnæ fuerunt voces? Ita credo. quia quarta fuit magna, dilerte, & magna voce emissa expirauit, certe igitur aliter Dominus, quam vulgo morientes expirauit, nam qui moriuntur adeo languide solent animam efflare, vt vix sit agnoscere, an expirarint, nec ne, Christus è contra expirando emisit vocem magnam, & vt alij Euangelistæ, cum clamore valido? & quid hoc significare videtur aliud quam quod ipse non necessitate aliqua, coactus, sed sponte animam ponat, quam si vellet in corpore retinere posset, quippe adhuc integris viribus & nullo lethali vulnere coactus, iuxta illud: *potestatem habeo ponendi animam & resumendi.*

Quomodo tunc apparuerit Dominus tuus, cum expirauit, ô homo atente considera, fortiter & profunde imprime tibi hoc spectaculum, in quo author vitæ imo vita mortua fuit. Et cum hoc tibi alte impresseris, genua tua flecte, adora Deum tuum pro te humiliatum ad mortem, & tuam mortem.

§. 242. *Et velum templi scissum est in duo à summo vsque deorsum. v. 38.*

Vides, amice Lector, quare te hortatus sim ad alte infigendum cordi tuo imaginem Dominicæ mortis, nam ad magnam & gemebundam conditoris vocem in cruce morientis contremuerunt ingemueruntque creaturæ omnes, optantes & ipsæ pariter occumbere cum creatore suo, rati quam tæderet eas ultra tam rebellibus & ingratissimis hominibus famulari, & paratæ

parata essent decertare pro opifice suo, illiusque iniurias vindicare: atque in huius indignationis argumentum certe sol mutauit colorem suum, terra contremuit, atque irrationales creaturæ, tanquam vindictæ appetentes, omnes ob suum commotæ sunt conditorem. vide hic quanta est illius potentia, virtus & maiestas, qui dudum tam impotens, imbecillis, & abiectus videbatur. Exhibuit signum in cælo significans se verum cæli Dominum, præstitit signum & in terra, edicens atque denuntians hanc suam esse creaturam, sibi que subditam & obtemperantem. ostendit etiam signum in templo demonstrans se supra legem, supra ceremonias & cuncta esse sacrificia penesque se auctoritatem esse legem abrogandi, sicut erat & statuendi potestas, ideoque scidit velum, vt nuda patesceret veritas, quæ sub literæ velamine, atque integumentis latuerat: simulque re ipsa declararet mysteria, figuras, varicinia cuncta impleta atque detecta, quando ipse, veritas æterna, ob quem scripta erant omnia seipsum in cruce toti reddidit orbi manifestum. Quin & sancta sanctorum scisso velo detexit, ostendens omne illud sacrificiorum genus quod pecorum sanguine celebrabatur antiquatum & abolitum esse, nec quidquam habere sanctitatis amplius, quam hætenus habuerat significando venturam, qui cum iam esset tam manifeste reuelatus, & venturi significatio desijt, & sanctitas inde attracta cessauit. Iam Christus Summus Sacerdos per proprium sanguinem introiit in sancta; iam se ipsum extra oppidum in crucis altari pro omni plebe propalam obtulit, factus commune quoddam & perenne sacrificium patri suo pro hominibus vniuersis ipsum petentibus, desiderantibusque. Scidit velum in detestationem sacrilegij quod commiserunt in eum Iudæi. Hinc antea Caiphas Sacerdos Iudæorum sumus, scindens vestimenta sua cum audisset à Christo, ipsum esse filium Dei considerat vetus sacerdotum, modo etiam templum veteris Sacerdotij profanatur. & cessat eius valor & sanctitudo.

Bene, & valde bene omnia impleuisti Domine Iesu. consummator es Legis. Accedite quicumque estis amici Christi, quia omni tempore diligit, qui amicus est sincerus, & maxime in afflictione, quod si lacrimæ vobis defunt vel statui vestro parum conuenire iudicantur, saltem ad imitationem vos prouocent amici qui patientem Iob in afflictione sua visitarunt. Venientes hi ad eum videntesque sedentem in sterquilinio, à capite vsque ad calcem percussum, omnigenis vlceribus & doloribus afflictum, ita attoniti fuere & stupore percussi vt septem diebus coram eo sedentes & stupentes nihil potuerint eloqui. Quid ita? quia videbant dolorem nimis esse vehementem, & cuius prius opulentiam, felicitatem, & potentiam, probe

Y

noue-

nonerant, tunc abiectio eius, miseriam, infelicitatemque non satis, corporis & animi oculis considerare poterant. Quid faciemus veri Iesu amici? non septem diebus, sed pene septies septem diebus, annuè cum Catholica Ecclesia, adsidebimus Domino nostro, tota quadragesima affligentes animas nostras, & Domini passionem vel meditantés indies, vel in concionibus quadragesimalibus audientes.

§. 243. *Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait. v. 39.*

Centurio centum Romanorum militum capitaneus, cui commissa erat custodia Christi, & executionis obseruantia in monte Caluarie, ne vllum à quoquam poneretur obstaculum, quin Iesus Nazareus de vita ad mortem condemnatus, sententiæ sortiretur effectum; videns audiens & contemplans omnia quæ circa Iesum acta, facta, exercita ante mortem, in morte & post mortem, eiusque verba septem sapientiæ plena, & stupenda naturæ prodigia in cælo, terra, aëre, monumentis, montibus, templo, petris, ex aduerso stans Christi corpori quasi sedulo obseruare poterat, compunctus est & conuersus. nam saccus gratiarum qui tot vulnera millibus plane dilaceratus & apertus erat iam operari incipiebat, hinc in corde eius & sociorum timor ortus salutaris, & ex timore pœnitentiæ, & ex pœnitentiæ confessio, & pectoris tussio.

O Amantissime Domine Deus cuius tam ferreum pectus, tam adamantina mens, vt huiusmodi narratione non repleantur compunctione viscera eius, cor amaritudine, oculi lacrymis, ora singultibus, linguaque clamoribus? quis non doleat de morte tua in cuius transitu sol obsecratus est, velum templi scissum, petrae diruptæ & aperta monumenta, centurio conuersus, poteritne humana mens saxo esse durior, & inanimatis insensibilis? plangat super se anima, quæ non dolet super tantis, quæ hic dicuntur, quoniam merito plangenda est, aliena quippe videtur esse à corpore, cum non tristatur capitis passione. Timeat vero præscindi, tanquam putidum membrum. Eia igitur clementissime Pater, trahere me quoque ad te cum centurione, vt omnino quod in te est, in me sentiam, ac tantopere tibi condoleam, quantum tu ex charitate pro me patis, ac mori dignatus es, totum quod in te fuit, experiar in me, vt per hoc à peccatis præseruatus, in omnibus pietatis officijs quæ in tua passione & morte aperiuntur, me exerceam. Apprehendam passionem tuam tam fortiter, ac si præfens oculis eam intuerer, nec recedat memoria eius à me, die vel nocte,

§. 244. Vere hic homo filius Dei erat. v. 39.

Quis tibi, o Centurio, hanc fidei veritatem indidit? an scriptura sacra seu Biblia? Non sane, quid igitur? Experimenta. ista tibi predicarunt, sine predicante Bibliastro, quare? quoniam Fides ex auditu est, non ex lectione, & si Fides iustificat (saltem inchoatiue) & hæc sine Biblijs haberi potest, vt docet centurio, certe ad salutem sine Biblijs perueniri potest, nempe per virtutem crucis, per virtutem sanguinis Filij Dei, virtutem mortis eius, quæ tam valido clamore & efficacia sparsa est per mundum, vt sine typorum & literarum figuris peccatores commoueri possint. Iudæus ergo habens scripturas propheticas de Christo, de eo doceatur per scripturas suas, Gentilis sine scripturis doceatur & erudiatur per lumē rationis, quod ipse habet loco scripturæ. Delirat, qui aliter hæc ordinat, fructum nullum in Gentibus facit, qui cum scripturæ mille voluminibus grauis venit. Hinc nulli Biblista vllum gentilem ad suam Fidem, per ea, quæ controuersa habent à Catholicis aliena, conuertunt. Nec possunt, quoniam & zelo Diuinæ gratiæ carent & eruditione necessaria ad hoc opus, suismet impediti principijs, nempe nihil credendum nisi quod est in scripturis, quod ipsum non est tamen in scripturis.

Deus gratias tibi ago, quod non sum de secta illa hominum, quæ huic centurioni est contraria, ego cum centurione credo, & confiteor, quod tu es verè filius Dei. Illi viderint quid credant, nempe vt scripturam explicando sibi tornant.

§. 245. Erant autem mulieres de longe aspicientes. v. 40.

Iuxta decentiam & honestatem muliebrem, non se immiscentes turbis quæ propius quodam impetu crucifixis astare conabantur, vel affligent magis vel curiosius viderent quæ gererentur, vel audirent quæ dicebantur, imo simul blasphemarent. Stabant autem è contra mulieres plenæ deuotionis affectu, indicibilem flammam amoris & compassionis Iesu accendentes in tenebris illis horrendis, qui tales iniurias tam libens sufferret, & condonaret, & tam acrociter iniuriantes etiam apud Patrem excusaret, contemplantur quam pretiosa morte à se diuellerentur anima illa sanctissima & sacratissimum Christi corpus, inter quæ tam mira semper concordia, tam stupenda dilectio fuit. Contemplantur omni cum deuotione sacrum illud corpus nostræ salutis organum quantis fuerit correptum pœnis cum omnes illius iam venæ exaruerant nec quidquam haberent nutrimenti, neruiq; omnes contracti essent, ah quanta cordis compunctione, dolore, compassione grauissimum Christi vultum conspiciebant, verti in pallo-

pallorem, ac mortis imaginem, deficere oculos, lacrymis præ ariditate carentes, sacrum dimitti caput, & cuncta denique illius membra, quem operibus non poterant, nutibus, ac signis amorem ostendere:

Ovos deuotæ mulieres quæ vti iudicij acrimonia viris estis inferiores ita affectuum acrimonia vicissim superatis. Vos estis exemplaria prima Deuoti fæminei sexus, qui eam laudem à vobis acceptam hodieque conseruat, vos bene præiustis, illæ vos sequuntur. Raro in viris tum tenera reperitur deuotio, cur hoc? Dei donum est, quo illum sexum honorare voluit sua gratia, qui viris alia dedit ornamenta.

§. 246. *Inter quas erat Maria Magdalena & Maria Iacobi Minoris & Ioseph mater & Salome. v. 40.*

Hæ præ viris fidem, constantiam, & pietatem in lesa ostendebant, in eo quod spectantibus Iudæis Christi hostibus ausæ fuerint cruci eius assistere, & compassionem suam in eum, testari publice ideoque rectè laudantur, & laus earum manet in Ecclesia, ad finem sæculi. Ecce vt non gloriatur omnis caro, rerum conuersus est ordo, viri discipuli fugiunt relicto Domino, discipulæ fæminæ non recedunt à cruce. inter illas erat Maria Magdalena quasi ante signana, siue choraga, quæ liberata per Christum à multis peccatis, actam corporis quam animi sanitati restituta, tanti benefici memor, & grata, indulsè ei adhærebat, & Maria Iacobi Minoris, & Ioseph mater & Salome sorores, considerantes omnia.

Domine, illæ mulieres secutæ sunt te vsque ad mortem, mortem autem crucis, tibi firmiter assiterunt compatientes, nec recesserunt à te, quia vnice amabant te, plusquam omnia bona mundi. Pudet me, pudet eum video me fæminis in tuo obsequio languentiosem. Ecce præire debebam & sequor à longe. quomodo compensabo hunc languorem? scio. fauebo eorum gratiæ, laudabo, occasionem dabo, iustitiam fundabo, & operabor vnde earum deuotio alatur.

§. 247. *Et cum esset in Galilæa sequebantur eum. v. 41.*

Amplius in harum Deuotarum fæminarum expatiatur S. Marcus laudem & vitam earum seu formam totam viuendi explicat, vt intelligatur, vnde ista tam constans pietas eis incesserit. Discernit autem omnes Christo Deuotas, in duas classes, vnã celebriorem & magis spiritualiter viuentem, alteram communi pietate contentam. De priore classe duo dicit encomia magna, nimirum, quod eum sequebantur non solum passibus & pedibus, sed magis vitæ modo, quantum poterant æmulari. nimirum

feminas docendo, ad baptismum disponendo. Adhæc eidem Domino & Apostolis ministrando de suis facultatibus.

Salue gloriosa Virginum & Viduarum, imo conjugatarum magis deuota corona. Tu gloria Ecclesiæ Dei, Tu es nota insignis Ecclesiæ veræ Christi non inueniuntur hæc apud acatholicos. Ibi quilibet prædicans habet uxorem suam carnalem, non patitur illa vltimam sequentem Maritum suum, aut ministrantem: At Christi Ecclesia habet cælibatum, ibi vnum Apostolum fas est sequi centum, sine æmulatione, sine lite, quoniam spirituale est negotium quod operatur in illis spiritus Dei & caritatis, qui laxat, non coarctat corda.

§. 248. *Et ministrabant ei. v. 41.*

De facultatibus suis, item de ijs quæ Christo mittebantur aut dabantur, nimirum pro vsu ipsius Christi, suorumque discipulorum, quo ad victum & vestitum, acceptabat enim tanquam pauper in consolationem pauperum, & confortationem, si quando bonæ familiæ homines cogantur præ paupertate vel petere à proximis subsidium, vel accipere ex necessitate cum pudore elemosynam. Ministrabant autem ei corde placito, alacri animo, vt qui ipsis ministraret verba salutis æternæ: & velociter & abundanter, & frequenter, imo assidue.

Hic rursus contempletur notam veri Spiritus Christi, in Ecclesia Romana. Ibi hodieque viget spiritus paupertatis voluntariæ, qui apud Reformatos exulat. Ibi viget spiritus ministrantiû Apostolicis viris, qui spiritus longissime est à Reformata synagoga. Inuenias ibi direptores honorû Ecclesiasticorum non fundatores, non ministratores, sed qui ministrari sibi velint. Gratias igitur nouas ago tibi Deus, qui me in ea Ecclesia collocasti, in qua tui spiritus notæ & signa tam patentia reperiuntur.

§. 249. *Et alia multa qua simul ascenderant cum eo Hierosolymam. v. 41.*

lam sacer scriptor recenset secundum Deuotarum fœminarum generis minoris excellentiæ. Hæ non continuo sequebantur Dominum vt Apostolici spiritus & collaborantes in Euangelio, sed subinde v. g. quando erat solennius festum vt pascha, pentecoste, scenopegia, encænia &c. tunc & hæ deuotioni singulariter sese dedebant, peregrinabantur, vel processionem adornabant cum Domino Ierosolymam, aliumue in locum sacrum, plane vt hodie dum fit in orbe Catholico, in quo & quasdam videmus personas fœminei sexus perpetuo inhærete cultui Dei tum in monasterijs tum in cælibatu canonico, vnico castitatis emissio voto, alias vero festis vel Dominicis diebus sese operibus pijs singulariter mancipientes.

Y 2

Christi

CHriste Iesu tu es corona Virginum, quia te sequuntur quocunque ieris, te singulariter amat deuotus fœmineus sexus & colit. Ita prophetatum de te in psalmo Adducentur Regi virgines post eam (scilicet Mariam primam: voto castitatis perpetuæ tibi obstructam) proximæ eius adducentur tibi. Ecce quod psalmista prædixit, in Euangelio, impletum lego, glorifico igitur te ô veritas sancta, quæ hæc quoque hodie in Ecclesia Romana verum esse demonstras.

§. 250. *Et cum iam sero esset factum. v. 42.*

Duplici sensu, nimirum in Horizonte Ierosolymitano, in quo sol ad occasum vergebat; & in vniuerso mundo in quo iam princeps mundi victus, incipiebat sentire se esse victum, cum iustitiæ sol, de cœlo Christus Deus noster, occubisset per mortem & ad inferos descendisset, expolians potestates. Sane valde sero erat, & haud dubie ringebant & fremebant dæmones quod ipsimet per suas suggestiones, & immisionem in cor Iudæ, & manus & ora Iudæorum ac gentilium seruorum suorum sibi hoc malum inflixissent, & occidendo iustum, in quem non habuissent potestatem, omnes vna sorte amisissent subiugatos. Sane sero sapiebant, & sero erat valde.

DEus meus, gaudeo & gaudet omnis chorus fidelium, quod superbissimos spiritus ita dextre de potestate sua eiecisti, vt ipsi adiuuarent strenue te in eo bello in quo essent vincendi, ita vt in omni sua astutia, agnouerint, sed sero, se esse prostratos. Tu es igitur Triumphator in Israel, tu es victor inferni. Salue festa dies, toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit & astra tenet.

§. 251. *Quia erat parasceue. v. 42.*

Iam dixerat tempus physicum diei, & morale, in quo occubuit vincens Dominus, iam indicat & diem mortis Christi & depositionis è cruce & sepulturæ nempe diem Veneris seu Feriæ sextæ, ea enim erat Parasceue Sabbati, qua præparabant Iudæi quæ sabbato opus erunt, & in ipso sabbato agere vel tractare non licebat. nam parasceue, verbum est Græcum, significans Latine præparationem, quo nomine vtiebantur & Iudæi qui inter Græcos morabantur. Quia ergo sexta die homo factus est, septima autem die conditor ab omni opere suo requieuit, recte Saluator sexta die crucifixus humanæ restaurationis impleuit arcanum. Sabbatho autem in sepulchro quiescens resurrectionis quæ octaua die ventura erat, expectabat euentum.

Deus

DEus meus gaudeo & exulto, quod sim in illa ecclesia in qua omnes Fe-
riae sextae toto anno tuae sanctae mortis & passionis memoria sunt infi-
gnes, tum decantatione Missae de cruce vel passione, tum Tenebrarum,
tum abstinenciae ac poenitentiae assumptione, non est hoc memoriale apud
profanos, qui se dicunt Evangelicos, & non sunt, non praeparant illi se per
poenitentiam, per moralem mortem seu mortificationem ad quietem &
sabbatum aeternum.

§. 252. *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio. v. 43.*

Quis Ioseph? non Ioseph Mariae Virginis sponsus Nazaraeus, sed A-
rimathia natura ortus. Ioseph, non faber, sed Decurio; non plebeius, sed
nobilis.

Habet, o Deus, Ecclesia tua, quod & tu habuisti in vita, ignobiles, &
nobiles, habet pauperes & habet diuites, habet plebeios & habet ex-
cellentes, quia complecteris omnes, & te tua Ecclesia imitatur. In hac no-
bilissimi etiam humilia subeunt officia, quia spiritus tuus humilitatis eos
regit. Apostatarum autem congregationem spiritus superbiae inflat, non
est tibi videre principes humiliatos ad lacernam, ad sepulturam pauperum
& derelictorum. in tua Ecclesia autem sunt Gallicani, sunt innumerabiles,
qui pauperum pedes lauant, ministrans, etiam ipsi Pontifices Romani.

§. 153. *Qui & ipse erat expectans regnum Dei. v. 43.*

Quomodo expectans regnum Dei? quia reliquerat Iudaismum,
& susceperat legem Christi; quia se fecerat discipulum etiam ex 72. vnum,
quia opera pia intentione Christiana faciebat Christo & proximo, ideo-
que ex praedicatione Christi expectabat regnum Dei post resurrectionem
Domini inchoandum, in ascensione ad caelos consummandum, in hac fide
& spe Christi corpus de cruce positum illud petijt a Pilato Praefide, auda-
cter sibi donari.

Domine, video quod iste Decurio non fuerit Reformatae religio-
nis, qui putauerit satis sibi esse ad salutem credere, sed etiam ex-
pectabat regnum Dei. & non solum expectabat, sed etiam laborabat
pro eo obtinendo, sumpsit audaciam, petijt arduam rem, mortificauit re-
putationem humanam, per opera ostendit fidem suam. Bonus Ioseph, qui
sic accrescit.

Deus bone, da vt in spiritu hunc virum representem qui ab augmen-
to nomen habet, vt & ego quoad vixero in virtutibus progressum faciam.
Attendam mane & vesperi sine intermissione ad passionem tuam quo
semper

semper tuæ benedictæ passionis memoriam agam, & sic per fidem & spem
& caritatis opera constans corâ te, & omnibus hominibus inueniar vt cor
meum tecum concordet, & conuersatio mea sit pia, & sine querela in
homines. Tunc merebor tuus esse discipulus genuinus.

§. 254. *Et audacter introiit ad Pilatum. v. 43.*

Seposito respectu nobilitatis suæ & officij sine tergiuersatione, sine
metu oblocutionum] & Iudæorum æmulantiû comminatione contendit
Spiritus S. gratia ad Pilatum, vt tempestiue Christum mortuum ante ini-
tium festi sepelire posset.

Tu igitur Christiane si cupis esse Christi discipulus negligis hominum
iudicijs quando Dei iudicio contrariantur, soli Deo placere stude.
qui currunt in stadio illorum solum iudicia curant qui daturi sunt præ-
mia, ita & tu age. discite non curare laudes aut vituperia hominû Deo con-
trariorum, totis viribus enitaris vt illi placeas, & obsequium præstes tuo iu-
dici. Perdes oleum & operam, si curiosius obserues hominum dicta. Tu
autem Saluator concede vt perpetuo gratus sim tibi vt morem geram vo-
luntati tuæ, quia reliqua omnia sunt vanitas maxima & afflictio spiritus.

§. 255. *Et petijt corpus Iesu. v. 43.*

Quam sunt disparia hominum Iudicia de eadem re! Illud corpus,
Reges ex oriente & alij innumeri adorarunt. Iudas autem xxx. argenteis
vendidit, Iudæi & flagellarunt & conspuerunt, & cruci affixerunt, Videntes
plerique exhorruerunt, at Ioseph, nobilis homo & diues petijt.

O Ioseph, optime fecisti. Tu dignitatem huic corpori ad modicum ab-
latam restituisisti, quando illud tam honoratus & diues expetijsti. Pro-
pter hoc æterna gloria, æterno regno dignus euasisti. Vtinam & ego corpus
hoc in communionem sæpe magno desiderio expetam, quod Calvinista re-
cusat, Capharnaitam scandalizat.

§. 256. *Pilatus autem mirabatur si iam obisset. v. 44.*

Merito mirabatur quia non viderat, quæ in eo fecissent, quorum vo-
luntati eum tradiderat, quomodo eum flagellassent vltima vice & coro-
nassent & cruce baiulanda vexassent, & quomodo eum. sibi vexassent &
contumelijs plane ad infernum depressissent.

O Terrarum & hominum Domini, vos aliquando deberetis prospicere
in carceres, in ergastula, in officinas, in angarias, in rationum libros,
& ipsos subditos visitare, tunc videretis multa quæ ignoratis, & quorum
particulam audientes miramini, Esset miseris oppressis solatio magno si
scirent

scirent sciri suam oppressionem, suam miseriam, suam eniscerationem, quæ nunc aulae tapeijs, & circumstante turba ministerialium abscondita sunt oculis vestris, vti Pilato Christi afflictio & animæ expressio.

§. 257. *Et accersito centurione interrogauit eum si iam mortuus esset. v. 44.*

Licet Pilatus negligens fuisset in cura innoxij defendendi, prudenter tamen hic egit, quod licet Ioseph esset honestus, iustus, & diues, nobilis, & decurio, noluit improvidam fidem ei adhibere, nisi prius interrogasset eum, quem miserat centurionem cum militia ad Christum crucifigendum, & tumultus arcendos, certus inquam esse voluit de morte Christi Pilatus non per Iudæos quibus minime fidebat, ne forte deciperetur & vivens auferretur cum periculo tumultus, ex quo potuisset oriri error peior priore, aliàs crucifixi solebant quandoque ad tertium vsque diem viuentes pendere in cruce.

DEus meus etsi Pilatus hoc examen accuratum pro sua persona & comodo instituit, tu tamen alio idem direxisti, nimirum, vt publico magistratum testimonio Christum vere mortuum constaret contra insidias nequam Iudæorum, ne mentiri possent eum non fuisse, vere mortuum, sed viuentem ablatum & medicinis curatum. O admirabilis Dei providentia! quam pulchre scis tu peccatoribus & malitiosis claudere effugia! laudo te, adoro te in cunctis mirabilibus tuis. Vtinam & ego in credendo sim prouidus, certe toties non deciperer, credens me hominibus, etiam auctoritatem habentibus opinatam.

§. 258. *Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. v. 45.*

Licet enim iuxta legem Deuteronomij deponenda erant corpora crucifixorum, non permanebit cadauer eius in ligno, id tamen fieri non poterat inconsulto Iudice, sed expressa eius licentia, vt haberetur in iure. Hanc igitur ipse Apostolico spiritu cum ingenti discrimine efflagitare non exhorruit. Modus autem illam obtinendi hic fuit quod Ioseph seruietat Pilato, non humilis miles sed vt decurio, nobili obsequio, vt obseruauit Petrus Comestor, forte & pro omni honorario seu mercede, quæ illi debebatur, petijt corpus Iesu sibi donari ad sepeliendum.

GAUDE ò Ioseph, & tanto lætare munere: magni pende illud & quasi oculi pupillam custodi, caue ne illud longe à te patiaris abesse, esto vbi illud, siue in domo, siue in tumulo: hinc oculos tuos sanguine illius, suoque liuore tuis medere vulneribus, præstantissimas impetrasti reliquias, pro quibus vniuersum mundum videbis certare paratum.

Z

§. 259.

§. 259. *Ioseph autem mercatus sindonem. v. 46.*

Verba clara, clarum important documentum, ne res licitas illicitis modis agendi inquinemus. Bonum erat & sanctum opus petere corpus Domini Iesu, illudque sepelire, bonum erat etiam pro sepeliendo sindonem vel propriam adhibere, vel suo aere aliquam comparare. Malum vero fuisset sindonem huiusmodi rapere vel furari, aut extorquere. Talia tamen quidam fatue agunt, qui bonum finem & materiam tractantes, illicito tamen modo bona agunt, & ut in proverbio est, corium furto acquirunt. calceos propter Deum parant, & ex misericordia dant egenis. Non sunt hi Ioseph, non sunt accrescentes, sed decrescentes.

DEus meus, largire fidelibus suis, ut non solum bona agant, sed etiam eadem recte tractent, iuste, prudenter, sobrie, pie. nemo propter pacem obtinendam mentiat, nemo pro fide persuadenda figmenta confarcinet, aut vim inferat, nisi subditis sibi. nemo, ut alius bene valeat, suam valetudinem bibendo nimium lædat, nemo ut Ecclesiam reformet, totam religionem proturber. nemo ut amorem obtineat, utatur maleficijs &c. verbo qui sindonem desiderat, pecuniam exponat.

§. 260. *Et deponens eum inuoluit. v. 46.*

Dignus fuit plane vir iste qui esset decurio. nam reuera sedulum fuisse apparet, grauiterque laboriosum. ecce accedit ad Pilatum supplicans, accersitus centurio, & eo audito obtinet votum, emit sindonem, veluti avis expedite volans est in Caluariae monte, deponit, inuoluit, & hæc omnia vna hora.

Quot homines hæc agendo integrum diem insumpissent! quot homines hæc agendo fabulis hic & ibi intermixtis hæsisissent! Verè non solum accrescens erat iste Ioseph, sed & accelerans. Qui huiusmodi sunt, digni sunt qui ad officia promoueantur, scriptura teste, quæ expeditos in opere coram Regibus stare dignos asserit.

§. 261. *Sindone. v. 46.*

Sindon, non cuiusuis lini tela est, sed tenuissimi, seu ægyptij, quod Dicrosson vocant. alij pretiosam vocant, & ab aulis Aulicam. Placet tam pretioso inuolutum fuisse pretiosum corpus, nempe perspicuo pene operimento. de quo accipio à fide dignis scriptoribus & testibus, 12. palmos longum, tres latum fuisse. imo corporis Dominici & anteriorem & posteriorem figuram impressam hodieque seruari, vna quidem parte in Italia Taurini, altera in Burgundia Vesontione. Ego hanc sanctam sindonem at-

actu corporis Dominici sacratam veneror & honoro, & mecum omnes amantes Dominum inuito, vt dicamus pariter.

Domine Deus, qui nobis in sancta findone, qua corpus tuum sacratissimum, de cruce depositum, à Ioseph inuolutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, vt per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur.

§. 262. *Et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra. v. 46.*

Agnosco modum & ceremoniam condendi S. corpora, corpus Domini sancti Sanctorum exemplar fuit cæterorum. Video Colonia, video Treuitis, video alibi, audio in toto orbe Christiano SS. corpora poni in monumentis gloriosis, etiam de petra excisis, sæpe & de argento & auro cufis.

Benedictus es tu, Beate Ioseph, à Domino. Tuo facto & sanctè fecisti, & exemplum dedisti. Te secuti sunt populi fideles, sanctos in honore sepelierunt non solum in tumbis lapideis, sed etiam in cryptis & cæmiterijs. Tu cryptam effinxeras 8, pedes longam, 8 latam, 8. altam, figuram omnino cubicam, hanc tu cum loculo æquè lapideo tuo donasti & cessisti Sancto Sanctorum, propterea tibi vicissim parauit idem Dominus mansionem æternam, in regno cælorum.

§. 263. *Et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. v. 46.*

Vetus ratio & mōs est non solum corpora quæ animarum humanarum olim fuerunt habitacula, pro merito suo vel honorificè, cum bene egerunt recondere, vel in contumeliam, si male vixerunt, exponere, sed etiam honeste recondita munire, contra bestiarum incurfus, aut hominum insolentiam. Idem noster Sancti Sanctorum vespillo curauit aduoluto grandi saxo ad ostium monumenti Dominici.

O Beate Ioseph, ego in te, quanto plus considero acta tua, plures & plures prudentiæ Christianæ & pietatis eximix laudes reperio. quocirca tibi ex corde gratias ago quod non solum Dominum meam tam pulchre sepelijsti, sed etiam Christianos Catholicorum motes tam insignes es orditus. Ego te veneror tanquam Fundatorem Ordinis noui in Ecclesia Christi, nempe ex pietate sepelientium mortuos in Domino.

§. 264. *Maria autem Magdalene & Maria Ioseph aspiciabant vbi pareretur. v. 47.*

Hæ duæ mulieres, Maria scilicet Magdalena nobilis ex Magdalo prope Capharnaum, & Maria Ioseph mater Domini, à desponsato sibi no-

men habens, amore Christi flagrantibus diligentius obseruabant locum sepulchri, corporis positionem, lapidis aduolutionem, ut iam transacto sabbatho possent officium amoris & deuotionis offerre, resurrecturo adesse, ut factum docet Matthæus. Hæ enim duæ personæ in fide resurrectionis, fundatissimæ, nunquam in eo vacillasse videntur. Propter quod etiam prima sabbathi, sine aromatibus ad videndum solum sepulchrum venisse à Matthæo narrantur.

Saluete igitur Heroinæ & primæ fideles in Christi Ecclesia. Vos estis duo luminaria valde ante Deum lucentia, ante homines ardentia, vnum iustitiæ immaculatæ exemplar, alterum iustitiæ recuperatæ. Ego vos honoro, & adoro, adoratione quidem non Deo debita, sed quæ creaturæ summa dari potest, quia vos honorastis Dominum meum pro me credendo magis, quam vngendo.

CAP. XVI.

RESURRECTIO D. N. SECUNDUM MARCUM

§. 265. *Et cum transisset sabbathum. v. 1.*

Post passionem etiam resurrectionem Domini diligenter describunt Euangelistæ propter Mysterium, mortificandi in nobis peccati per penitentiam, & resurrectionis per iustificationem ad bona opera, ut docet Paulus. illo igitur explicato alterum non excludo. Quid igitur? & quomodo S. Marcus Resurrectionem Domini exponit? videamus.

Narrauerat iam quomodo Feria vi. ante illucescens sabbathum Magnum Paschæ (hoc enim semper ad primas vespertas inchoabatur) sepultus fuisset Dominus à Iosepho in monumento lapideo, & à duabus sanctissimis mulierum omnium per fidem in corde. Transmisso igitur sabbatho illo Iudaico iam infatuato, per impletionem veritatis, aggreditur narrare historiam Resurrectionis & docet quomodo non credentibus resurrectionem Domini, eadem sit manifestata, dicens: *Et cum transisset sabbathum Maria Magd. & M. Iacobi, & Salome emerunt aromata.* quare? euentus ostendit, ut mortuum Dominum angustia temporis exclusi Feria vi. vngent, Feria i. nam sabbatho tale opus plane illicitum videbatur.

OMulieres, vos quidem zelum habetis, sed certè non secundum scientiam vel Fidem B. Mariæ Magdalenzæ alterius & B. Mariæ Virginis, illæ credendo gratius fecerunt Domino opus, quam vos emendo, & parando aromata, quia sine fide impossibile est placere Deo.

§. 266. *Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata. v. 1.*

Iam pridem quidam ex SS. PP. censuerunt non vnam sed plures personas fuisse quæ eodem nomine Mariæ Magdalena vsæ sunt, apud Baronium, etsi ipse eos PP. non sequatur. Illa igitur PP. posita sententia, multa obscura fiunt in Euangelio perspicua de Resurrectionis Dominicæ historia, alias vix penetranda, nam Mariæ Magdalena vni alia euenerunt, quæ alteri earum non competunt. siue, talia de Maria Magdalena traduntur in Dominicæ Resurrectionis historia quæ in vnam eandemque personam non quadrant. vti in epilogo operis apparebit. Hoc ergo posiro, pergamus contemplari denotas fœminas in suburbio quia sumus contemplati malas in atrio Pontificis.

Domine Deus satis perspicuum est, quod neque sexus, neque origo, neque patria facit hominem probum aut iustum, sed tua gratia & liberum arbitrium, quando occurrunt sibi & sese osculantur, nam in omni sexu, in omni ætate, patria, & conditione Hominum reperio bonos & reperio malos.

§. 267. *Vt venientes ungerunt Iesum. v. 1.*

Ecce tibi est scopus intentionis harum piarum mulierum in quibus contemplari lubet, quid sit homo sine sapientia quæ addiscitur per fidem. Ecce enim illæ fœminæ sine fide resurrectionis, pecunias & quidem multas impendunt, sibi subtrahunt, aromata emunt, etiam ante sabbatum vti Lucas insinuat, & parant statim post sabbatum tota sorte nocte, & vigilant, & valde mane exeunt. Sed omnia irritò conatu, quia Dominus resurgens his non egebat, nec ipsæ ei quæ parauerant impendere potuerunt.

Vere, vti homo duos habet oculos corporis, ita in animo eger duobus oculis mentis, vno Rationis, altero fidei. illo ad naturalia, hoc ad super naturalia recte videnda, si vno horum careret, multa recte non videt. Ego pro me tibi Deus gratias ago quod vtroque vtcunque me Deus donasti. & precor vt omnes vtroque potiantur.

§. 268. *Et valde mane vna sabbathorum veniunt ad monumentum. v. 2.*

Mane & vespere duæ sunt partes integrantes diem, mane incipit à puncto mediæ noctis & durat vsque ad punctum meridiei, inde vespere, siue sero inchoatur. Mane ergo primum est quod mediæ nocti vicinius est, mane alterum quod meridei vicinius est. Quid igitur valde mane est? vtrovis sensu accipi potest, hoc tamen loco ex adiunctis videtur indicari mane

Z. 3.

alterum

alterum, quia additur orto iam sole, qui tunc 27. Martij paucis minutis ante sextam horam nostram oriebatur in Iudæa, uti in S. Lucæ & S. Ioannis textibus exponam. Sed quid est quod dicitur vna sabbatorum? & non vna sabbati? an plura sabbata vnum in diem incidere possunt? Expedio. Anno, quo passus est Dominus, sabbatum hebdomadarum & dies Paschæ Iudæorum festus in vnam coinciderant, bene igitur sabbatum illud dupliciter sabbatum erat, seu deuteroproton, uti S. Lucas in simili materia vocat. & bene prima feria, à duplici sabbato antecedente dicebatur vna sabbatorum.

Domine, qui dicunt scripturas sacras esse tam claras, ut pueri, anus, peliones, cerdones, rustici, agasones, molitores, omnes possint eas intelligere, sine magistro, reuera mentiuntur, vel si ita putent esse, reuera valde stupidi sunt cerebri. Ego tot annis Theologus & indies legens scripturam, & pastor multa nondum satis penetro. obstrue, oro, horum impostorum malevolentiam.

§. 269. Orto iam sole. v. 2.

Mulieres illæ licet mane surrexerunt præpararint sua unguenta, non venerunt tamen ad Christi monumentum nisi orto iam sole, ad indicandum, quod, quando venerunt ad monumentum Domini, iam ipse surrexerat, duplici sensu, literali & Allegorico. Literaliter sol ille corporeus vnus ex septem planetis, supra horizontem iam ascenderat, & ideo venerunt cum iam surrexisset Dominus. nam ille ad tertiam matutinam nostram surrexit, tribus fere horis ante ortum physicum solis; Allegorice autem sic, sol iustitiæ Christus Dominus iam ortus erat resurgendo, quando ad monumentum eius illæ aduenerunt.

Infelices vos fœminæ, quæ tam sedulo laborastis, & Dominum quem unguere voluistis, non inuenistis. erit tamen operi vestro merces de congruo, etsi propter defectum fidei non debeatur de condigno.

§. 270. Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? v. 3.

Ecce nondum ortus est his consultantibus fœminis sol iustitiæ, etiam ortus esset sol naturæ, iam Dominus exierat de monumento & lapis erat reuolutus, & disceptant quomodo lapis deberet reuolui.

O Caligo humani intellectus! quam tu densa es, nisi in te splendant lux illuminans omnes, qui non amant tenebras suas.

§. 271. Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. v. 4.

Sole clarè lucente, ambulant in tenebris mentis aliquid lucis ambulanti.

lantibus affulget per rimas sensuum in animam suam. nam oculis corporeis, sole naturæ huius monstrante, viderunt lapidem reuolutum à monumento. Vnde, si acutæ fuissent intelligere poterant, iam resurrexisse Dominum, si verborum eius, de tertia die, memores fuissent; vel certe inde esse ablatum.

Domine Deus non solum homo natura sua est valde ignorans, antequam principia & terminos acquirat, tunc enim est instar tabulæ rasæ; sed etiam quando iam principia & terminos hausit, in peruidendis sequelis. O Deus supera obsecro & expugna in nobis istos stupores, primum per lumen tuum, deinde per bonos magistros rationalis disciplinæ & aliarum artium, & ne permittas obsecro, vt nobis fingamus pessima idola: Ego cuncta probe intelligo. cæteri homines, videntur mihi esse fungi, vel capita asinina. Quod ego non intelligo id certe est extra cuncta intelligibilia. & : Ego penetraui omnem veritatem; quod iste Homo dicit non est inter omnia ista quæ ego noui: ergo iste errat. O Idola domus Israel, quæ tamen indies fabricantur maxime ab ijs, qui papistas dicunt idololatrias in templis, cum ipsi sint idololatræ maximi in capitibus suis.

§. 272. Erat quippe magnus valde, v. 3.

Quid hoc facit ad dicta? multum. causa datur cur disceprauerint sceminæ de persona amolitura saxum, quod si paruum fuisset, ipsemet amoliri potuissent præsertim tres. ad hæc causa datur, quomodo factum sit quod de procal viderint lapidem iam reuolutum. Magna enim ex longinquo videntur, non pugilli & minuta.

Domine video iterum in his sceminis cæcitatē. viso saxo amoto tam valido, debebunt argumentari. Ecce lapis magnus amotus est ab ostio. ergo diuinitus vel humanitus. si humanitus ergo homo qui id fecit, iam corpus Domini procurauit, vel abstulit. non procurauit autem, quia si id egisset lapidem reuoluisset in locum suum, ergo abstulit corpus. Frustra igitur & sero venimus, si autem diuinitus amotum est saxum, procidamus ante Dominum & ei gratias agamus, qui nobis monumentum sine pretio aperuit. At nihil horum hic cernitur fuisse. sed ruditer esse processum.

§. 273. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris. v. 5.

Vidimus sceminas intellectum habentes obscuratum in diuinis, humana tamen affectione bene dispositum & operantem, pro vt in tenebris suis.

suis probabiliter nouerant faciendum esse. Videamus nunc quo modo facientibus quod in se erat, de congruo data est gratia ueniendi ad plenam cognitionem ueritatis. Ingressæ igitur sine multa ratiocinatione in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida. Ita est prima gratia & dispositio ad ulterius lumen fidei inducendum, nempe apparitio & præsentia Magistri erudituri, qui bene dicitur esse iuuenis, quia officium quod gerebat in mentibus Denotarum erat initium ulterioris profectus.

Domine Iesu splendor æternæ gloriæ, valde detestor Pelagianos quifine gratia tua dixerunt hominem posse obtinere uitam æternam; sed & æquè detestor eos qui negant dispositiones ad gratiam seu præparationes, & merita de congruo. utrosque hæc fœminæ] refutant, neque enim naturæ uiribus assequutæ sunt resurrectionis Dominicæ ueritatem, neque etiam domi sedentibus, sed aliquid agentibus pro suo posse oblata est copia magistri.

§. 247. *Et obstupuerunt. v. 5.*

Quia rem inopinatam uidebant, rem admirandam, uiuentem in sepulchro, iuuenem pro uito, sedentem pro iacente, stola candida fulgentem pro inuoluto in sindone. sanè merito obriguerunt timidæ creaturæ. certe mihi ipsi frigidus per ossa cucurrisset sudor, arrectæque fuissent comæ, & uox faucibus hæsisset, hoc enim est obstupescere, & se loco monere uix posse.

Fateor connaturale esse homini horrere apud mortuos, & in tenebris, & si cui uere appareat aliquid quod non est naturalis occurfus, ac hominem sibi fingere phantasmata, & spiritus à se uisos imaginari quando nihil tale subest, & ex talibus imaginationibus tremere & expauescere est perquam fatuum & melancholicorum proprium: fingere autem & mentiri est plane nequam factum, & merito puniendum à magistratu, quia talibus mendacijs non solum læditur ueritas & disciplina publica, sed etiam sæpe iustitia & honor, & bonum fortunæ proximi grauiter læditur. Bonum est huiusmodi spirituum speculatores cito coram magistratibus conueniri, ut honor suus cuique integer seruetur, etiam mortuis.

§. 275. *Qui dixit illis nolite expauescere. v. 6.*

Iam incipit operari Magister datus fœminis deuotis, ex Dei misericordia. & prodit se quod non sit angelus malus. nam quæ in ipsarum fornicatarum corde & animo erant, discrete aperit eis, nempe pauorem, ut per hoc eas disponat ad cætera percipienda & credendum sibi. Disponit, quia

quia stupor & paor impediunt intellectum, & ignotæ personæ qualitas non habet credibilitatem.

Oiuuenis, quisquis es, siue homo, qui iuuenili in ætate defunctus olim, iam resurrexeris cum Christo, siue spiritus angelicus, indutus figuram corporis humani, tu valde apposite & congruenter modo Angelorum bonorum agis cum his fœminis. nam ita & Gabriel egit cum B. V. Maria, & alii cum suis clientibus; ideo honoro te sit à Deo missum & ordinatum, quia habes signa bonæ credentiæ, & bene fecerunt mulieres illæ si tibi crediderunt, accedentibus cœteris credibilitatis signis.

§. 276. *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum. v. 6.*

Pergit iuuenis fortiore ratione mulierum auferre timorem & facere credibilia quæ dicet, 1. quia aperit eis adhuc secretiora cordis sui, nempe intentionem propter quam venissent istuc. 2. nominat suauiter ipsum Nomen Iesu. 3. eiusdem qualitates ipsis bene notas exponit.

Deus meus glorifico te, quod ita ordinasti, vt nemo in hoc mundo possit decipi in Religionis vel diuinis negotijs, nisi qui sponte eligit errorem. nam si quis inculpabiliter ob ætatem vel intelligendi exilitatem decipitur non est ei peccatum, sed error, si vero adulta ætate & sat maturo iudicio polleat, fraudes impostorum aduertere semper potest, si ad credentiæ signa aduertat. quæ tuus propheta vel Apostolus, vel Angelus vel Euangelista vel Doctor vel Propheta apportat. Si à Deo missum se esse ordinaria via, per successionem legitimam ab Apostolis; vel extraordinaria via, per miracula non probat, iam luptum tenes ouina pelle intellectum. Volunt igitur serio scire protestantes, an sint in vera religione examinent literas credentiales missionis Lutheri & Caluini. Si hoc nolunt, iam manifeste decipi volunt, quia volunt audire Prophetam, qui eis coquit placentas cordis.

§. 277. *Surrexit non est hic. v. 6.*

Cum literas vel signa credentiæ suæ aperuisset iste eximius & amabilis iuuenis, statim propositionem facit ad quam erat ordinatus vel delegatus. *Iesus Naz. Crucifixus surrexit. non est hinc deportatus, vel profundius depositus, nec exustus, nec putrefactus, fecit vti qui dormiuit, erexit se sua insitui, & ne putetis quod se transformauerit, in iuuenem, & sit ego, addo, non est hic vti ego & vos estis hic præsentia locali.*

Deus meus gratias ago tibi quod reuelasti per iuuenem istum te resurrexisse, & magis, quod simul confutaueris vbiquistas Lutheranos Wittenbergicos &c. qui post mille quingentos annos erant venturi in mundum mentientes te per gloriam habere corpus vbique præsens, sicuti est diuini-

tas tua ubique præfens, merito ergo isti homines, à suis in errore collegiis, Calvinistis, imò Calixtinis Heimstadiensibus vexantur, quia tuam veritatem vexare voluerunt prius.

§. 278. *Ecce locus ubi posuerunt eum. v. 6.*

Cum ista dixisset iuuenis ille, Doctor angelicus, statim confirmationem addidit vtilem sensibus perceptibilem, nimirum ipsum in latere cypæ excisum locum vel loculum digito monstravit, ut inspicerent in fundo. Simul aperiendo, quod ipsæ forte non viderant, quod ibi acuisset Domini corpus sepultum.

O iuuenis gloriose Doctor cælestis, ego te adoro adoratione tibi competente, & oro te ut & me sic instruere velis, & dare modum sic alios quoque instruendi; ita fiet ut ego egregie doctus euadam, & alij bene sub me doctore proficiant.

§. 279. *Sed ite, dicite discipulis eius. v. 7.*

Cum iam deuotæ illæ, & felices tali magistro & tali schola, fœminæ essent satis instructæ, continuo ad docendum alios id ipsum bonum, quod didicerant, dimittuntur. imò à speculatione amabili loculi Dominici auertuntur ab eodem magistro particula. *Sed ite.*

Domine Deus video quod tua gratia incipiat abundare in nationes etiam in sexum fœmineum, cum tu ob illius excellentem deuotionem præ virili sexu, in passione tua exhibitum etiam primò illi sexui reuelas resurrectionem tuam, & socias luctus ad fœciscis in societatem lætitiæ, Amant igitur te & pergant te valde amare & colere omnes fœminæ, sic fiet ut multæ desinant malæ esse. Sed & quæ bene didicerunt, doceant adolescentiores, sic propagabitur felicius pietas & sapientia.

§. 280. *Discipulis eius & Petro, quia præcedit vos in Galilaam. v. 7.*

Fit discrimen inter Discipulos Christi omnes & Petrum ab hoc cælico Doctore. quare autem? & propter eius solatium, & eius dignitatem. Solatium ut non horreret eius resurrectionem, cuius meminisset, in se præcessisse negationem; Dignitatem, quia ex quo Dominus & magister Apostolorum erat defunctus visibili magisterio iure promissionis ipsi à Domino coram Apostolis factæ & destinatæ erat in officio Vicarius, certe nemo iure magis certo.

Erat novum credibilitatis in Doctore additamentum, cum tam conformiter actis & dictis Christi in fœminis ponit reuelationis suæ aliud fundamentum, Non enim est de Christi ecclesia membrum, qui non agnoscit S.

Petri

Petri in eaprimatum: nec curat vniuersorum Dominus salutem, eorum qui per media ab se constituta saluari recusant.

§. 281. *Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. v. 7.*

Neque iste Doctor cælestis neque discipulæ fuerunt de numero Protestantis Ecclesiæ. Ille enim allegat dicta & hæ recipiunt probationem per dicta. Reformata turba, non credit: nisi dicat Doctor: *sicut scriptum est, & Doctor nihil ibi debet credere ipse vel proponere nisi quod scriptum est.*

DEus meus gratias ago tibi, quod non sim in illâ turba hominum, quæ nihil credit nisi sit scriptum: & quod scriptum est uti placet torreat, versat & reuersat, donec tandem nihil exeat. Sequor te Domine: quicquid dixisti vel signo alio indicasti, credo: non habeo tibi præscribere quomodo me doceas.

§. 282. *At illa exeuntes fugerunt de monumento. v. 8.*

Ad mandatum Doctoris sui exeuntes de sepulchro mulieres visæ sunt sibi ex equaleo esse ablata, quia steterant & audierant & viderant omnia consternata, non ausæ se mouere præ insolentia rei, quæ sibi eueniebat. Liberatæ ergo isto prælo cordis sui sicuti auiculæ de laqueo non respectabant, sed quasi volatu se subripiebant visioni suæ, nec sibi ipsis fere verbum audebant loqui.

Reuera passio Timoris est potens passio. non miror ego aliquos apoplexia tactos in subito metu. nec miror in lapidem conuersam esse pauore uxorem Loth, nec aliquos canos esse factos, aut subito extinctos. Tu igitur Domine, creator meus & Dominus vniuersæ carnis, obsecro, mitiga in me passionem hanc ne vnquam ea tentatus peccem, Ne permittas tam grauitè me terreri, ut inde periclitè de salute.

§. 283. *Inuaserat enim eas timor & pauor. v. 8.*

His verbis exprimit patheticè passionem, qua modo dicebam feminas fuisse affectas, nam indicat, sic in eis fuisse actum, ac si ciuitas ab hoste esset peruasa, non strepitu armorum sed anxietate.

DEus meus tu quidem creasti passiones nostras in quantum sunt qualitates animi seruientes voluntati, sed quod in eis inordinatio est ita ut rationem turbent hoc est additamentum Adam, hoc inimicus homo fecit. tua igitur gratia succurre ne nos inuadant ut hostis & depopulentur.

§. 284. *Et nemini quidquam dixerunt, timebant enim.*

Sequitur nunc malus effectus indomitæ passionis, nempe suppressio verbi & nuntij, quod feminis erat commissum, siquidem rem tanti momenti

nenti iussæ nunciare subtruerunt, quia non audebant rem tam inopinam dicere, ob quam possent irrideri. & ludibrio haberi. imo à iudæis puniri in hac tamen timiditate, aliquid humanæ prudentiæ admiscuerunt, ne temere credulæ viderentur.

Domine Deus istæ mulieres multo prudentiores fuerunt plerumque hominibus qui nunc viuunt. Vix aliquid plane etiam rationi repugnans audiunt, cum illud statim diuendunt: dicit vnus. isto loco spiritus apparuit, audit hoc alter, & dicit tertio: audio aliquot spiritus videri. Tertius addit in singulis fere plateis aliquam domum infestari. Non sic istæ fœminæ, vere viderant visionem & tamen eam suppresserunt. bene an malè non disputo, taciturnitatem fœminarum istarum solum cum nostri æui hominibus compono. Optime igitur facit Ecclesia Catholica, quæ iubet noua miracula premi, donec examine multo sacri magistratus sint approbata, qui aliter in hac materia facit, garrit, prædicat, temeritatem suam manifestat.

§. 285. *Surgens autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalena. v. 9.*

Cum tentatum esset, vt per Iuuenis antedicti, in sepulchro Domini apparitionem, & mulierum harum annuntiationem Resurrectio eius manifesta fieret & id non succederet, propter timores, vt dictum est. Ipsummet Salvatore se manifestare aggressum esse, narrat Euangelista. atque surgentem mane 1. sabbati apparuisse primo Mariæ Magdalena. non fuit ista Maria, eiusdem licet nominis quàm modo vidimus pauentem fugientem, & præ timore nemini quicquam dicentem. ei siquidem non Dominus, sed Iuuenis apparuit, sed alia eiusdem nominis de qua ad Matti. cap. 28. §. 268. egimus nempe illa quæ solà cum B. M. Virgine feria vi. aspexit vbi poneretur, & solà cum eadem visura sepulchrum Matt. 28. accessit, & quæ hic describitur, quod de ea Dominus vii. dæmonia eiecerit, hæc enim non tacuit sed nuntiavit.

Domine Deus video quod gratiarum tuarum varia sint munera & gradus. Tu vni, licet eiusdem esset cum altera nominis, apparuisti per ipsum, alteri per seruum tuum vel missum, nec est qui potest acius siue cum authoritate possit dicere tibi: *cur sic facis. Dominus vniuersorum tu es.* Tuam voluntatem adoro, & simpliciter ei acquiesco.

§. 286. *De qua eiecerat septem dæmonia. v. 9.*

Describit Euangelista. qualis fuerit illa Maria, cui primo apparuit, Christus resurgens, & dicit fuisse olim talem de qua Christus septem dæmonia eiecit.

uenerit antequam ad sui amorem peruenit. non fuerunt ista VII. dæmonia metaphorica, quo modo S. Ioan. Chrysoftomus ait: magnus diabolus est peccatum in anima: sed literaliter sensu fuerunt VII. dæmonia corporaliter eam infidentia. Nec erubuit Dominus talem ad suum adsciscere famulatum, & quidem statum Deuotum singularius: nec illa se in eo gestit agendo, multasque, quæ secundum nomen suum in baptismo nominatæ fuerunt, conuertendo & adducendo ad Christum.

Videte magnæ pietatis sinum, peccatores; considerate apertum & vobis misericordiæ gremium, ad vos oculos mentis reducite, & dæmoniacam sceminam in exemplum vobis imitationis anteferte: nolite æstimare quid fueritis, sed quid de Domini gratia esse possitis. Facite quod illa fecit, intime inhælit Dei generici Mariæ, cum illa reperitur aspicere sepulcrum; cum illa redire ad videndum resurgentem Dominum.

§. 287. *Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant. v. 10.*

Pergit sacer scriptor in hac Maria Magdalena prædicanda, Illa iuit & nuntiavit, altera fugit & nemini locuta est. Illa socia indiuisa Mariæ V. Deiparæ, altera socia aliarum sceminarum, Illa fuit nobilissima de castello Magdalo Domicella, altera de Naim olim peccatrix.

ODulcis Iesu, quam benignum, dispari tamen modo & discretione admiranda, te tuis impendis! Hoc tamen communiter seruando, ut quanto quis tuiæ matri venerandæ amplius coniungitur, tanto plus gratiæ ei impendatur. O quam male faciunt prophætæ illi noui, qui docuerunt populos tuam optimam & sanctissimam matrem vili pendere, imo auersari! aquæ ductum gratiæ profecto & sibi & suis discipulis inciderant. Miserere eorum Domina nostra carissima S. Maria.

§. 288. *Lugentibus & flentibus. v. 10.*

Impletum est, quod dixerat Dominus: *plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit.* Nec opus causas lugendi vel flendi in Apostolis &c. discipulis Domini percontari; nimis patent, fugerant, negauerant, benefactorem maximum amiserant & de eo desperabant.

O Domine, lugeam & ego peccata mea, quæ superant & damna & peccata Apostolorum. fleam tui amissionem millies & millies procuratam. Eheu! Dona gratiam per passionem tuam sanctam.

§. 289. *Et illi audientes, quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt. v. 11.*

Mira res, tot & tantæ fabulæ & falsitates auide creduntur ab hominibus

nibus & iucunde narrantur, Ista de Christo Resurgente tam vera & bona non crediderunt.

Domine capere non possum cur Apostoli tui dilecti tergiverſari ſint fidem adhibere verbis Mariæ veraci, & viſui, niſi quod vere ignorantēs & immemores fuerint verborum tuorum & promiſſionum in longa illa oratione apud institutionem venerabilis tui Sacramenti, quod tertia die reſurgeres præcedereſque ipſos in Galilæam. ſed video vulnera noſtra in Apoſtoliſ ſunt tractata & ſuauiſter curata. Tu Domine id feciſti, tibi gloria debetur in ſæcula.

§. 290. *Poſthac autem duobus ex his ambulantiſ oſtenſus eſt in alia effigie. v. 12.*

Poſteaquam Mariæ credere nolebant Apoſtoli, quæ tamen Ieſum vidiffe teſtabatur, ſuperuenit aliud teſtimonium de duobus diſcipuli� qui ambulantes extra Ciuitatem Hieruſalem, verſus villam Emauſ viderant Dominum; ſed in alia, quam Maria effigie, illa enim in ſpecie propria hi in peregrini forma (nam de Hortulani figura poſtea agetur) vidiffe ſe profitebantur.

OMira benignitas Saluatoriſ, qui ſinguliſ ea dona largiriſ & eo modo quo ipſiſ meliſ poſſunt perficere ad vitam æternam. Te benedicor. Tibi gratiaſ ago, & inuito ad te benedicendum omneſ reſ in ſæcula læcum. Amen.

§. 291. *Euntibuſ in villam. v. 12.*

Villam hic Euangeliſta videtur ponere pro caſtello ſiue municipio, quia ibidem erant congregatæ multæ villæ in quibuſ habitabant Coloni, qui agroſ colebant, vt ait Theophyl. ipſa deinde dicta eſt Nicopolis, Ciuitaſ inſignis Palæſtinæ, quæ poſt expugnationem Iudeæ, ſub Marco Aurelio Antonino Principe inſtaurata fuit. Ibant ergo illuc iſti duo diſcipuli, Cleophaſ ſcilicet & vti creditur Lucas, inuiſuri vel villam propriam, quam forte necdum plene reliquerant, vel amicos, vel ad refocillandum animam & pellendam cordiſ triſtitiã, quam hauſerant ex Chriſti Domini ſui captiuitate tormentiſ & morte, cum quo etiam ſua conditio videbatur eſſe attrita imo ſpeſ fortunæ omniſ deiecta eſſe.

ITa ſane contingit, omneſ volumuſ eſſe beati, quærimuſ bonum & ſolertium. ſi vno excidimur aliud requirimuſ. & hoc quidem rectiſ, quam ſi penituſ deſperemuſ, & vitam vti Iudaſ, nobiſ præſcindamuſ, dampnabiliſ conſilio, veruntamen cautela opuſ eſt, ne à vero bono amiſſo, ad fallaciam deſlecta.

desectamus, à Christo ad sæculum, à iustitia ad iniquitatem transeamus.

§. 292. *At illi euntes nuntiauerunt cæteris. v. 13.*

Vide horum discipulorum diligentiam & feruorem ad reuelandam resurrectionem Domini. vt primum agnouerant Christum in fractione panis sero, vtpote hora cœnæ non attendentes itineris relegendi grauitatem, & fatigationem & tenebras noctis imminentes, &c. terriculamenta Hierosolymam ingrediuntur.

O Boni discipuli optimi Magistri, vos cordate, & certè prudenter fecistis. quod tanta re comperta, statim ad Apostolos redijstis. Certe ex hoc facto apparet, vos communionem sancta à Domino resectos fuisse, qui tam præclara cæpistis confestim expedire.

§. 293. *Nec illis crediderunt. v. 13.*

Iam Maria Magdalena nobilis illa B. M. V. Sodalis reuelauerat Apostolis, se visum esse Dominum ac sibi Virginique Marri dictum esse Aucte: Iam & discipuli ex villa recurrentes hoc annuntiauerant; & ecce non crediderunt. quia res nimis insolens erat mortuum resurgere, qui non haberet excitatorem. Sed quando tandem & eui credent? seruatum erat hoc priuilegium Petro super illo enim fundanda erat fides Ecclesiæ suæ, iam iam colligenda, post dispersionem.

C Ratias ago tibi Domine Iesu Christe, quod fidem nostram tam prouide fundasti, non super annuntiatione sanctissimæ etiam sceminae, nec super minoram discipulorum relationem, sed super S. Petri maturi & iam sæpe probati à te viri constantia & autoritate tuo tamen numine suffulto. Tu enim ipseus eras basis & fundamentum, ille nostrum.

§. 294. *Nouissime autem recumbentibus illis vndecim apparuit. v. 14.*

An igitur S. Marcus vult dicere, quod vsque ad diem ascensionis Dominicæ in infidelitate perseverarint vndecim Apostoli? Absit factum, imò dictum: Possumus igitur dicere, nouissima seu extrema diei illius parte accidisse, vt eum iam ad cœnam accumberent Apostoli Dominus collegio illorum xi. virorum apparuerit (nam Thomam ea hora abfuisse est certum) Possumus etiam sic accipere, quod Marcus omnes apparitiones Apostolorum Collegio factas in vnum conuoluat fasciculum, & summam tractatum cum ijs habitorum perscribat. Et hoc posterius congruit cæteris Evangelistis, nam quod S. Lucas ait: conuescentem cum Apostolis Dominum locutum esse eis de Regno Dei, & præcepisse ab Ierosolymis ne discederent

derent, id S. Marcus expressit per exprobrationem duritiei, & præceptum de missione per orbem ad mundum docendum, & danda Sacramenta salutis, nam omnia hæc tempore illo intermedio, quo surrexit & ascendit in cælose uenisse est certum.

O Deus inuisibilis, præsentissime, & absentissime qui te interdum ita abscondis, ut remotissimus esse videaris, interdum vero ita te prodis, ut te proximum & præsentissimum esse animaduertamus. Veni Domine ad animam meam, tuaque dulci præsentia visita, ostende te mihi & reuela hic per gratiam & postea per gloriam.

§. 295. *Et exprobrauit incredulitatem eorum. v. 14.*

Inter cætera, quæ Dominus cum discipulis tractauit etiam illud fuit, quod suammet ipsorum oculis incredulitatem exposuit, ut eam agnoscentes, tanto ad eum morbum in alijs curandum fierent aptiores.

Deus meus es tu, quia video quod ad fundum sanes morbos animarum nostrarum, imo ipsos morbos nosti conuertere in bonum eorum simul qui laborarunt, & aliorum. quanti fuerunt peccatores, & hi postea ad peccatores conuertendos sunt adhibiti. sed hæc est gratiæ tuæ vis, non peccati. Est tuum regale donum, non peccati proprium emolumentum.

§. 296. *Et duritiam cordis. v. 14.*

Incredulitas magis viget in intellectu, Duritia in affectu, utrumque malum in discipulis curare intendit, qui per ipsos totum mundum incipiebat sanare.

Sana Domine, sana contritiones populi tuæ. Etiam hodie sunt increduli, sunt & duri. dignare Domine etiam illis exprobrare, id est conscientias eorum tangere, & dictare; Ecce hoc, ecce illud. quia sine te nihil est in homine, nihil est innoxium.

§. 197. *Quia his qui viderunt eum resurrexisse non crediderunt. v. 14.*

Quinam sunt, quæso, hi qui viderant eum resurgere? utique illi qui cum Domino de monumentis resuscitati exierunt, ac forte ipsa Beatissima V. Maria cum sua sodali intima Magdalene nobili domicella, ex Matth. 28. capite, At resurrexisse plures eum viderant. nimirum B. V. M. & dicta Magdalene, & discipuli euntes in villam, & S. Petrus, & alia Maria Bethanienfis stans ad sepulchrum & plorans. imo ipsi X. Apostoli primarij.

Deus meus fateor, quod non sit facile credendum. cuilibet spiritui, sed tamen quando credibilitatis euidentis signa adsunt, nolle credere, id certe est inhumanum, est durum, est exprobrandum. adiuua igitur Domine ac omnes ut in neutrum impingant tui fideles.

§. 198.

§. 298. *Et dixit eis: Euntes in mundum, vniuersum, prædicate Euangelium
omni creaturæ? v. 15.*

Confirmatis iam in fide Apostolis sua præsentia & doctrina, eandem fidem & doctrinam mandat alijs prædicari in sua absentia omni creaturæ, id est rationali, siue Homini, hic enim habet aliquid de omni creatura, & solet dici microcosmus, id est parvus mundus, epitome vniuersi. dicit autem: *Euntes*, id est cum iam tempus aduenerit, ut Hierosolymis discedatis, tunc in orbem vniuersum discedetis, & prædicabitis, ante id tempus autem Iudæos percurare laborabitis. Vti ego ipse me prius & fere solum Iudæis impendi, quibus fui repromissus.

Domine Iesu agnosco ingentem in te caritatem, quod cum scires te tam male tractandum à Iudæis, tu tamen eos ita dilexisti, quasi gentiles aspernaberis, imo postquam te tam enormiter tractauerunt, tuis discipulis ad certum tempus mandasti, ut se ipsis solis fere impenderent, donec plaga eorum vel sanaretur vel desperanda videretur. Inexplicabilis est ista tua dilectio, superat sensum & verbum. Sed & gratias ago tibi, nomine omnium Gentium quod nos satiare demum dignatus sis micis, quæ cadebant de mensa Dominorum nostrorum Iudæorum, qui nunc ob incredulitatem suam facti sunt serui nostri.

§. 299. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. v. 16.*

Hæc verba quidam ita accipiunt, quasi sint tota scriptura sacra, siue omnis à Deo reuelata doctrina & sola sufficiens ad hominem instruendum. Sed errant, nisi enim quæ præcedant legeris, ista rite nõ intelligis. Quid igitur præcessit? *Prædicate*: & sequitur *qui crediderit & baptizatus fuerit*. Ergo verba hæc eos concernunt, qui & prædicatione audire & intelligere possunt, & vii arbitrij sui cum gratiæ auxilio conuerti ad Christum, nempe adultos. quid igitur tu stupide Apostata Luthere, ais, infantibus opus esse fide ut baptizentur, ex hoc loco, & quod stupidus est, etiam reuera credere absque usu rationis? õ te insanus! sed & hoc pessimum aliud, quod ex eodem verbo Domini contexitur puluillus sub omni brachio peccatoris, qui & saluari vult & non cessare peccare. nam aiunt falsi Prophetæ, ecce qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

O Deus quæ in tempora deuenimus. Hæc illi insani, in tuo nomine, non missi, prophetant & aude à multis audiuntur, soli sapere putantur omnes alij sunt stupores, hi soli sunt sapientes scilicet.

§. 300. *Qui vero non crediderit condemnabitur. v. 16.*

Modo vidimus Lutherismum ex detortis Domini verbis extortum.

Bb

nunc

nunc ex sequentibus videbimus Calvinismum. quid igitur ille plus dicit Lutherismo? Hoc. Lutherus à bonis operibus reuocauit homines ad solam fidem & baptismum. parum erat iste Epicuræismus, & Eleutherismus, sublimior & liberalior voluit esse Calvinismus, iste etiam baptismum condonauit. Itane? imo vero. nam hic valet; Tantum crede, & sufficit. baptismus solum sigillat, quod fides donauit. Ecce liberalitatem Calvinismi. sed forte Calvinista id verum esse negabit. Ita, assolent negare, & pernegare, & dicere & affirmare, prout sibi vtile videtur. Libri ipsorum & Acta remonstrant.

Domine Deus magna fuit tua patientia & mansuetudo in passione, sed reuera multo maior nobis indies elucet in tua sustinentia, quam habes erga modernos apostatas & hæreticorum Dogmatum assertores. illi enim multo turpius, iniquius & contumeliosius tecum agunt. In passione tua inimici tui agebant professes & palam contra te, hi simulant se tecum esse, & sunt aguntque contra te nequissime. Miserre eorum infinite misericors.

§. 301. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. v. 17.*

Vt fides Christiana probabilis fiat Iudæis opus est scripturis, vt gentibus, opus & miraculis. id ex hoc alijsque Domini exactissimis dictis & actis iam constat. cum igitur Apostolos suos & ad Iudæos, sed primum, deinde ad gentes mittendos declarasset, vtrisque opportuna media suggesset. Pro Iudæo, aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas, pro gentili, potestatem super dæmonia, & venena & morbos, & cordis secreta.

O Prouidum patrem familias! ô Doctorem perfectum & absolutum! Iam intelligo, quod possis hodieque dicere tuis: *Quando nisi vos suos sacculo & pera? nunquid aliquid defuit nobis? Dico Domine, Nihil. Omnia in pondere numero & mensura ordinasti. Optime Domine, optime.*

§. 302. *In nomine meo dæmonia eijcient. v. 18.*

Hoc primum euidentis credibilitatis Legatorum Domini nostri ad gentes est signum. quantum vero illo signo profectum sit, hodieque proficiatur. norunt qui Historiam Ecclesiasticam non negligunt. obuia sunt istic & annua exempla. Ab actis Apostolorum ordiatur, cui libet ea nosse.

O Deus fac obsecro signum in bonum cum his qui non nouerunt te, vt videntes signa intelligant & conuertantur, & te nobiscum adorent, qui supra dæmonia tuis das amplam potestatem.

§. 303

§. 303. *Linguis loquentur nouis. v. 18.*

Hoc iam alterum est signum credentiarum Apostolorum ad Gentes, & non eruditos in scripturis Iudæos, quid illo profectum sit eadem Actarum docent & sequens Ecclesiarum Historia.

Deus meus verissime olim est dictum, linguas esse in animalibus rem optimam & pessimam ecce linguarum nouarum optima res est, linguarum veteres pessimæ, linguarum veteres sunt linguarum Adami & Euarum, linguarum nouarum sunt Christi & Mariarum. Iltas fugiam, has amplectar.

§. 304. *Serpentes tollent. v. 18.*

Hoc tertium signum Apostolatus ad gentes & imperitos, tollere serpentes. tollebat eos S. Paulus in Melite insula, & conuertebat spectatores, tollebat in Hibernia S. Patritius Episcopus. Iustulere eos alij innumeri, neque hodie desunt, in quos venenis grassati hæretici, effecerunt nihil.

Deus meus, gratias tibi ago & laudo te in cunctis mirabilibus. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noster. adiuua me, vt metaphoricis moribus serpentum infernalium saucius non succumbam, & vigore Sacerdotij mei in alijseisdem morsus consanem.

§. 305. *Etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. v. 18.*

Quartum signum credentiarum Apostolicarum, mortiferum innoxie bibere. Bibit hoc innoxie S. Ioannes Apostolus, & S. Benedictus signo crucis Intoxicatum poculum dirupit. Innumeri hoc de Ecclesia Christi fecerunt.

Deus meus, fateor hoc tempore, conuersis his ad te regnis, non opus esse hoc signo ad literam explicato (quamuis tuarum tamen non desit Ecclesiarum) tamen spiritualiter indies hoc miraculum nobis & necesse est & seruit. nam quis est qui non mortiferum bibat, dum eum proximus malo verbo, vel facto scandalizat? vix vllus certe nisi ab omni hominum societate remotus.

§. 306. *Super agros manus imponent & bene habebunt. v. 18.*

Quintum hoc signum est quo multi infirmi à diuersis languoribus sunt curati, ex impositione manuum Apostolorum, & ex tactu vestimentorum, imo quod plus est, per vmbra S. Petri, vti & per manus Apostolorum omnium fiebant signa & prodigia multa in plebe, qui non solum infirmos curabant, sed per impositionem manuum dabatur spiritus sanctus.

Quid hinc iam aliud colligemus quam illam Ecclesiam quæ his signis caret, semperque carebit non Christi sed alterius antagonista congregationem? utique.

§. 307. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum.*

Suaus clausula tot laborum, qua formata Ecclesia sua, Dominus introiit in requiem suam, ut nos quoque trahat in eam; si tamen socij futuri laborum & passionum, quomodo enim sub spinis coronato capite velit membrum vile deliciarum? Non est setyus, maior Domino suo.

Idcirco rogo te fortissime Iesu conforta me ad labores, ad dolores tui causa perferendos, ut in gloria tecum sim dignus exultare.

§. 308. *Et sedet à dextris Dei. v.19.*

Ibi explicatur gloria Christi pro omnibus quæ egit & dixit. Hæc merces humiliationis eius, & obedientiæ & sufferentiæ suæ. Sedere ad Dextram Dei? honorat enim Diuinitas humanitatem hanc tam caram, tam Diuinitati obsequentem, ut ei omne iudicium cedat & transportet non amittendo sed communicando gloriam Deitatis, ut adoretur & operetur uti Dominus vniuersi.

O Gaudium, ô præmium omni labore dignum! merces desideranda post labores.

§. 309. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique. v.20.*

Post Christi ascensum ad cælos missum spiritum sanctum & præfinitum tempus quo Apostoli & discipuli in Iudæa subsistere erant iussi, & fere bini & bini, deserentes patriam, patrem & matrem, sorores & fratres, bona terræ, possessiones, domos & agros, cognatos & amicos, familiaritates & consolationes eorum abierunt in longinquas terras, Asiam, Africam, Europam & Indiam, & partes illis adiectas, & prædicauerunt quæ viderunt & audierunt de Christo Domino, Deo & homine, vero & viuo, quandoquidem tanquam filij & discipuli eius viuendi rationem conspicati fuerant, eius doctrinam conceperant, eius miracula spectarant iterum ac laborum eius socij fuerant, eius tormenta mortem crucem conspexerant, eius resurrectionis testes fuerant, eius etiam ascensionis in cælum, spectatores simul & præcones iudicij ad quod iterum esset venturus, & rationem auditurus omnium eorum, quæ facta, dicta, cogitata fuerint ab omni homine siue bonum siue malum.

Pro

Propterea humiliato corde ô Deus meus rex meus & iudex meus, contrito spiritu ad maiestatis tuæ solium accedo & ad te, ô clemens Domine ac Pater, ex toto corde proclamô, miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Inclina te Domine ad me, & ego me conuertam ad te. ostende in me bonitatem tuam, vt tibi in omne æuum gratias agam. Auxilium tuum, Domine, mihi præsto sit. & fortitudo tua me corroboret vt mala quæ damnant, fugiam, & bona quæ saluant, agam.

§. 310. *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, v. 20.*

Istis verbis intelligo duplicem gratiam Dei, qua eius Ecclesia Catholica, ab Apostolorum tempore propagata, hodie dum floret, & vti vrbs in monte exaltatur, ante faciem omnium populorum, ita vt eam gentes omnes agnoscere & ad eam confluere possint. Istæ sunt gratiæ gratum faciente, expressæ verbo *Domini cooperantis*, & gratis datæ, expressæ verbo *Domini confirmantis per signa* antea recensita. Nulla ecclesia habet hanc gratiarû bigam, sola Romana in illa triumphat Ecclesia & quæ Romanæ communicant, ceteræ fatuos ignes habent, hos sequuntur, in his ad tempus eis placeat exultare & errare in inuio & non in via.

TU Deus qui pro eis passus es, miserere eorum, & salua populum tuum quem pretioso sanguine redemisti, miseranda enim res est nationes septentrionis ab illis impostoribus, apostatis Monachis & Clericis seduci.



EPILOGUS

SERENISSIME PRINCEPS
CLEMENTISSIME DOMINE,

ABsolui opus sub Serenissimæ Clementiæ
Tuæ auspicijs cœptum, quicquid in eo re-
ctè concepi, Divinæ gratiæ attribuo, quicquid er-
roneè admisi, mihi imputo. Totum optimè vo-
lui factum, & Tuæ Serenissimæ Clementiæ &
Pietati æternè esse sacrum & devotum.

Ad me quod attinet iam senui & senesco,
consilio & opera, ut potui, Diæcesin adiuvi, ean-
dem post Deum, V. Serenissimæ Clementiæ, uti
totam Ecclesiam commendo brevi hinc
migraturus,

Id mei Testamenti legatum est.
Odoretur Dominus sacrificium hoc bonæ
voluntatis, in Sion.
Amen.

FINIS.

PASSIONIS DNI N. SECUNDUM MARCUM.


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

RS

ria
re-
ler-
vo-
æ&

co,
an-
uri
c

æ



v. adm. D.
Georgij ab Eysche
Pulsio P. N.
1752

Th

2584